



Biblioteka Jagiellońska
stdr0011518

MOSCOVIA

HOC EST,

De origine, situ, regionibus, moribus, religione, ac Republ.

MOSCOVIÆ

COMMENTARIUS

Auctore
SALOMONE NEUGEBAUERO
à Cadano.

Accessit tabula MOSCOVIÆ Geographica.

GEDANI
Typis Andreæ Hûnefeldi.
ANNO
SVpernè RegI Meo à Deo VICtorIa.

AUCTOR

ad

ZOILUM.

EX ossibus lectum tibi
Hîc porrigo os, ô Zoile,
Hoc rode sis, & linquito
Mî chartulas innoxias.



Illustr.

ILL^mo ET REV^mo

PRÆSULI AC DOMINO

D. LAURENTIO GEMBICKI

EPISCOPO VLADISLAVIÆ POMERANIÆQUE

MAGNO POLONIAE CANCELLARIO REGNI

SENATORI EMINENTISSIMO

Huncce

MOSCOVIÆ COMMENTARIUM

Amicorum persuasu & inductu

CONSCRIPTUM:

Ut robusto tanti herois patrocinio
à Zoilis atque vituperonibus vindicetur,
Et hoc quali quali publico præconio
Observant. cultusq; monumentum consecretur:

PRO INSIGNI ILLA BENEFICENTIA

A 2 QUA

QUA ET ANTE TRIENNIUM ME EX GALLIA
ILL. CUM DD. FIRLEIIS REDUCEM LOBAVIÆ,
ET PROXIMIS IN COMITIIS VARSAVIÆ,
illuſtrem ad menſam ſæpius admiſſum,
munificâq; tandem cum gratiâ dimiſſum
INCLITUS HIC MUSAGETA
nullo meo merito liberalisſimè affecit:

L. M. Q.

Inſtar votivæ ſimul ineuntis anni ſtrenulæ

D. D. D.

SOLOMON NEUGEBAUER
à CADANO.

A. C. CIↃ IↃ C XII

IN
MOSCOVIAM
Viri nobilis & clarisſimi,
D. SALOMONIS
NEVGEBAVERI
à CADANO.

MIrum, vix quiſquam culto reperitur in orbe,
Cui ſit delicium barbara barbaries.
Sunt tamen, ingenti qui perfunduntur amore,
Cùm de barbarie haud barbara ſcripta legunt.
Moſcorum certè qui barbara facta ſequatur,
Nullus erit; quid enim? nil niſi barbaries.
Qui tamen expendant hæc te duce NEUGBAUERE,
Percupidèque legant, plurimi, opinor, erunt.
Quidni? ſermo brevis, concinnus, & ordo perennis,
Hæc tria Lectorem ſuaviter afficient.

JOANNES DEMETRIUS
GORAYSKI
à Goray.

In eandem

PHALEVCVS SBIGNEI GORAISKY à GORAY.

Quæ sermone frequentiùs feruntur,
Hæc & scripta libentiùs leguntur:
Mos est omnibus unicè probatus.
Quem noster benè novit ille NEVGE-
BAVER, sedulus ille singulorum,
Acta quæ, vel aguntur, annotator.
Hoc scripto jubet esse notiorem
Nobis MOSCOVIÆ situm atque ritum,
Quam dudum celebramus ore passim.
Hinc amplum tibi surgit argumentum
Laudis, & meritò vidêre dignus,
Cui Musæ aureolam parent corollam.

Benevolentiæ ergò
scripr.

M' LAU-

M. LAUBANI IN MOSCOVIAM

Nobil. & præstant. viri
SALOMONIS NEVGEBAVERI
à Cadano Borussi

EPIGRAMMA.

Fabula nunc Mosci sunt publica in omnibus oris;
Symposia hos passim, compitaque ipsa sonant.
Longa gravisque tamen fuerit via, plenaque damni:
Si loca ames propriis nunc ea nosse oculis.
En tibi sed medium se Nevgebaervs obinfert,
Nostræ & avitæ auctor commodus historiæ.
Arte suâ nobis sumptuque dat hacce papyro;
Moscoviam extra ipsam cernere Moscoviam,
Flumina, agros, silvas, urbes, sacra, jura, penates,
Cum populo dites quisque deinde domi.
Regna Sigismvndo qui Moscoviana, quod opto,
Dedet: inocciduâ hunc gloria laude vehet.
Regna cuique offers qui Moscoviana: deinceps
Gloria sit dispar Nevgebaere tibi?

IIΣ.

ΕΙΣ ΤΑΥΤΗΝ

ΤΗΣ ΜΟΣΚΟΒΙΑΣ

ΙΣΤΟΡΙΑΝ.

Ἱστορίην ξυγγραψόμενος, καὶ πάντα κατ᾽ αἶσαν
ἐν τῇδ᾽ εὐφρονέων ξυγκαταταξόμενος,
πρῶτα πελιάσειας τηρείτω: τὸν χρόνον, αὖτε
τὸν τόπον, ἀνθρώπων ἤθεα καὶ φύσιας:
νημερτές τε καὶ ἀτρεκέως λεγέτω, καὶ ἀμέμπτως:
πρὸς χάριν, ἢ μῖσος μή ποτ᾽ ἀποβλεπέτω.
ἱστορίης νόμος ἐστὶ, σαφῶς, φανερῶς, καὶ ἀληθῶς,
Ἀτρέκεως τ᾽ ἀνδρῶν ἤθε᾽ ἅπαντα γράφειν.
ἱστορίῃ ΣΑΛΟΜΩΝ τῇδε ΝΕΥΓΕΒΑΗΡ ἐνὶ τῇδε
ΜΟΣΚΟΒΙΩΝ μερόπων πάντ᾽ ἐφύλαξεν ἔπο.
ἱστορίης περὶ νόμον. οὕνεκα τὸ κλέος αὐτοῦ
Ἔσσει τοῦ θανάτου ἄμμορον, ἀΐδιον.

ΑΔΑΜ ΦΡΕΙΤΑΓΙΟΣ
τορυναῖος.



MOSCOVIAE

CAPUT I.

De Moſcorum origine, linguâ, nomine, & potentiâ.

MOSCI gens ſeu potiùs progenies Ruſſo-rum, olim teſte Plinio Roxolani dicti ſunt, quos tamen commutata aliquantulum litera Ptolomæus tabula Europæ octava Roſolanos nominat, communiter olim Ruſſi dicti, nomen â quodam RUSSO fratre ſeu nepote LECHI Polonorũ principis, vel ab oppido vetuſto Ruſſo nuncupato, non longè à Novogrodo ſive Novogardia magna, vel etiã à fuſco gentis ejus colore ſortiti ſunt. At enim Moſci ad veritatẽ propiùs accedentes, Roſſejam antiquis appellatam aſſerunt, quaſi gentem diſperſam ſeu diſſeminatam, id quod nomen ipſum indicare videtur: Roſſieja enim Ruſſis diſſeminatio ſeu diſperſio dicitur. Quod ita ſe habere, varij populi incolis etiamnum permixti, & diverſæ provinciæ RUSSIÆ paſſim immixtæ ac interjacentes palàm teſtantur. Moſcis ut origo, ita Moſcorum origo. Moſcorũ lingua.

 & lin-

& lingua communis est cum Russis, Polonis, Cassubijs, Silesijs, Bohemis, Moravis, Bulgaris, Croatis, Rasciis, Serbijs, Illyrijs, ac universo nomine Slavonico, licèt dialectis adeô varient, ut nonnulli ex his populis vix se invicem intelligant. In hanc linguam libri sacri non pauci operâ divi Hieronymi & Cyrilli translati sunt. Præter quoque annales patrios Alexandri etiam Magni, Romanorumque Cæsarum, itemq; M Antonij & Cleopatræ memoriam iis commendatam literis tenent. Acceperunt autem nomen Mosci, vel ab urbe MOSQUA, illius regionis metropoli & regiâ Principis Moscorum, vel, ut alijs, & quidem rectiûs, placet, à MOSQUA fluvio urbem alluente. Genus Russiæ Principum referunt annales Russici ad VARAIOS fratres tres, Ruricum, Sineum, & Truborum, qui circa annum Christi octingentesimum sexagesimum primum apud Russos Septentrionales regnasse feruntur. Ac RURICUS quidem natu major Novogardiæ, reliqui duo fratres aliis Russiæ partibus Bialojeziorensi & Isboriensi præfuêre, quibus tamen non multó pôst, nullâ prole relictâ, defunctis, Ruricus in ditionibus illis successit, & filium IGORUM post se reliquit. Hic ex Olga Plescoviensi filium SVENTOSLAUM sive Stoslaum suscepit, qui multa cum vicinis bella gessit, tandemque ab illis cæsus est, filijs tribus

Moscorum nomen.

Origo Principum Moscorum.

tribus, Ieropolco, Olega, & Ulodimiro, inter quos adhuc vivens principatum partitus erat, relictis. Et IEROPOLCO quidem Kioviam, OLEGO Dreulanos (qui fortè Bulgari sunt, à lignis vel sylvis ita dicti) VLODIMIRO verò è Malussa concubina procreato Novogardiam concessit. Hic fratribus, qui bellum ipsi intulerunt, à se peremptis, Russia potitus est tota. Ab hoc omnes dein Russiæ Principes profectos, proditum est. Is enim, cùm duodecim reliquisset filios, Russiæ principatum inter eos sic diviserat, ut Visceslao natu majori Novogrodum, Izaslao Poloscum, Stopolco Tuveram, Iaromiro Rostoviam tradiderit. Nec multò pôst defuncto Visceslao, attribuit Novogrodum Iaroslao, Rostoviam Borisso, Glebo Muromum, Stoslao Derevos, Vusevolodo Vulodimiriam, Mescisslao Torocanum, Stanislao Smolenscum, Sudislao Plescoviam, Podvviso Volyniam. Verùm ij partitione paterna non contenti, post mortem eius bellum inter se civile concitabant. Ex his SVENTOPOLCUS, qui cognita patris morte Kioviam occuparat, duobus fratribus Glebo & Borisso, qui posteà à Russis in divorum numerum relati sunt, dolo occisis, à Jaroslao tertio fratre cæsorum necem ulciscente, superatus, & Kioviensi principatu ejectus, in Poloniā ad BOLESLAUM Regē confugit, cujus rogatu

gatu Boleslaus adversùs Iaroslaum expeditionem suscepit, eumque profligavit. Post illos ULODIMIRUS cognomento Monomachus Iaroslai ex Vusevolodo nepos, cuius adhuc hodie apud Russos nomen est, imperio potitus fuit. Quod interpellatum quidem interim à posteris Sventoslai, qui avitum recuperare principatum conati fuerant, penès Vlodimiri posteritatem nihilominùs remansit, ac sequentibus temporibus Andreas Susdaliensis Dux, ab eadem Vlodimiri stirpe profectus, fœdere cum undecim aliis cognatis ducibus inito, eiectis Vlodimiri monomachi posteris, qui Kioviam tenuerunt, MICISLAUM filium ei imposuit. Hic primus principatũ in Susdaliẽsem domũ imperiique domicilium Vlodimiriam transtulit, cùm initio imperii Russici sedes Novogardiæ, inde Kioviæ, posterioribus verò temporibus, priusquàm Moscoviam à Daniele Moscorum Principe ALEXANDRI filio transferretur, Vlodimiriæ fuisset. Eum Principatum qui tenebat, licèt imperium in reliquos cognatos Duces non haberet, Magni tamen Ducis nomine utebatur, dignitateque ac honore, cæteris majestatem eius comiter observantibus, antecedebat. Cùmque honor is antea vel successione, vel reliquorum omnium studiis uni deferretur, interdum vi & armis

armis occuparetur, postquam eos Tartari sibi subjecissent, GEORGIO Principe victo cæsoque, ab iis peti cœpit. Ab illo enim tempore Russi Tartaris tributarii fuêre, atque ex ipsorum arbitrio Duces sibi constituêre. Danieli successit filius natu minimus IOHANNES cognomento Kaleta, quòd assiduè ad erogandas eleemosynas peram secum gestaret. Huius filii fuêre Simeon, Iohannes, & Andreas. SIMEONI pater Vlodimiriam & Moscoviam adsignavit, cui absque liberis mortuo successit IOANNES frater, qui filium habuit DEMETRIUM, ex quo nati sunt Basilius, Georgius, Andreas, Constantinus, & alii tres. BASILIUS post patrem imperavit. Hic, filio suo cognomini ob matrem adulterii suspectam præterito, moriens fratri GEORGIO gubernacula tradidit, qui nepotem diu in vinculis detinuit. Moriturus tamen, quamvis duos haberet filios, Andream & Demetrium, (conscientia fortè permotus) BASILIO nepoti imperium tradidit. Cui postea patrueles, conspiratione contrà eum facta bellum faciunt, eumque regno exuunt, ac tandem oculis privant. Verùm à Novogardensibus adjutus, imperium recuperavit, & pacatè illud obtinuit. Successit illi IOANNES filius, qui rebus Russicis obscuris adhuc magnam claritatem attulit, primusque eam, ad

 quam

quam nunc excreverunt, potentiam fundavit. Ducum reliquorum filios & nepotes, quos potuit, é medio sustulit. Novogardiam Magnam, totius Septentrionis emporio celeberrimam urbem, per fraudem cepit, & in servitutem redegit, & complures arces atque castella finitima, quæ magno Ducatui Lithvaniæ parebant, sui juris fecit. Primus hic Polonis & Livonibus bellum intulit, Tartarorumque jugum primus excussit. Pari ratione filius eius BASILIUS potentiam, cuius pater fundamenta jecerat, in immensum ferè auxit. Smolenscensem Ducatum SIGISMUNDO Regi Poloniæ proditione Michaelis Glinscii Russi Ducis eripuit. Casanos terra marique oppugnavit, duces agnatos ditionibus suis privavit, & Plescoviam civitatem liberrimam ac ditissimam suæ potestati subiecit. Ei successit IOANNES BASILIDES cognomine, qui Casanense & Astracanense regna suæ potestatis fecit, & mari Caspio in potestatem accepto, ad Persidem ferè imperium protulit. Livoniæ maximam partem per Livonum dissensionem occupavit, Polociam temporibus Augusti Regis cepit, cum Svecis prospero successu bella gessit. Eò denique potentiæ pervenit, ut non finitimis modò, sed remotioribus etiam quibusque gentibus terrori esset, omnesque alios Principes præ se contemneret

neret

neret ac nullam gentem esse existimaret, quæ potentiâ atque opibus secum contendere posset, aut auderet. Huic ex priore conjuge Anastasiâ duo fuerunt filii, Ioannes & Theodorus: ille acer & impiger, hic stupidus, & ad regni gubernacula inhabilis. Ac Ioannes quidem pòst à patre scipione ferrato percussus, magno cũ patris dolore obijt, tyrannus verò matrimoniũ aliquoties cũ nobilibus quibusdã puellis repetijt, easq;, ni intra menses aliquot prolem conciperent, in monasterium detrusit. Tandem ex septima, quam id temporis, cùm Rex STEPHANUS felicissimæ memoriæ Vielicoluco in potestatem suam redacto ingentes in Moscoviam copias admirabili cum terrore omnium circumduceret, duxit, filium Demetrium suscepit. Cùm verò Mosci matrimonii iterationem admodùm detestentur, ac quartum, ne dum septimum, pro illegitimo & Christiano homine indigno habeant, Demetrius hic non admodum in precio habitus cum matre in Ducatum Susdaliensem ablegatus est, ibique à Præfecti sui filio cultro læsus, miserè periisse perhibetur. De quo tamẽ alii aliter. IOANNI Basilidi extincto successit filius THEODORUS, ingenij stupiditate laborans, cui pater Consiliarios ex præcipuæ notæ proceribus quatuor adjunxit, qui novi principis ac Reipublicæ salutem curarent. Sub quo

Mosci

Mosci liberiorem vivendi rationem ingressi, facultatibus amplificandis operam dederunt, aliumque & quidem politioris victus corporisque cultum secuti sunt. Cùm verò annis tredecim imperio præfuisset, tandem absque prole ex hac vita excessit. Huic successit BORISSUS HODUN, cujus sororem Theodorus defunctus princeps in matrimonio habebat, unanimi omnium consensu ad regni gubernacula vocatus, quòd cùm vivo adhuc Theodoro summam rerum obtineret, comitate ac benevolentiâ multorum animos sibi conciliasset. Ad fastigium hoc evectus, summâ in imperio constituendo prudentiâ usus est, ac mi itibus primùm omnibus ac præsidiarijs stipendia persoluit, Germanis ex Livonia annis superioribus in Moscoviam abductis liberam ad suos redeundi facultatem, reliquis verò manere volentibus privilegia atque immunitates concessit, virginibus etiam pauperioribus dotes ac vestimenta largitus est. Hoc ita imperium administrante, DEMETRIUS in Polonia redivivus factus est, qui secundùm alios aliquot ante annis Borissijussu, ne ipsi ad imperium obstaculo esset, cædi destinatus erat, sed astu puer eiusdem ætatis, & vultu non absimilis subornatus, ejus in locum interfectus est. Interim hinc inde in monasterijs apud suos educatus, in Russiam tandem pervenit, fortunamque suam ac genus

genus Constantino Visniovecio Duci, & dein Georgio Mnischek Palatino Sendomiriensi indicavit, adeò constanter, ut quibusdam signis fidem plerisque faceret. Itaque quinque millibus militum clam conscriptis, quibus deinde non parua manus limitaneorum, eorumque veteranorum accessit, duce Palatino Sendomiriensi in Moscoviam contendit. Ac primùm quidem cum exercitu Borissi, ad quem jam fama de Demetrio pervaserat, collatis signis conflixit, variâ initiò fortunâ, sed pòst Demetrio in fugam acto. Qua clade acceptâ Demetrius Rilscum arcem profugit, ubi non exiguam suorum partem è fuga collegit, ac per dies aliquot corpora refici jussit. Quó loci haud multò pòst Borissi exercitus ad Demetrium inde expellendum venit, quo cum Demetrius congressus, eos non paucis interfectis fudit fugavitque. Ad quam fortunæ inclinationem quinque opportunæ situ arces unà cum subjectis territoriis sponte se Demetrij potestati permisêre. Dum hæc fiunt, Borissus audiendis exterorum Principum legatis vacans, repente non sine veneni suspicione mortem obit. Quam secuta est magna animorum mutatio. Demetrius enim ex incerto certum sibi regnum habere visus, ipsam Moscoviæ metropolin nulla morâ interposita ingressus, ingenti populi acclamatione magnus Dux salutatus, ac

C paulò

paulo pòst diademate insignitus est. His peractis, & provinciis, ut videbatur, tranquillatis, legatum in Poloniam ad Regem misit, petitum, ut sibi MARIANAM Georgij Mniscij Palatini Sendomiriensis præclarè de se meriti filiam ducere uxorem liceret. Cum qua pòst anno sequenti nuptiæ magno splendore in ipsa Moscoviæ metropoli celebratæ sunt, & nuptiis non dum finitis à suis crudelem in modum trucidatus est. Atq; hæc de origine, situ, ac potentia Moscoviæ Principum pauca præmissa sunto.

CAPUT II.

De amplitudine ac terminis M. Ducatus Moscoviæ.

Magnitudo Moscoviæ.

PRotenditur autem Moscorum Principis imperium adeò longè lateq;, ut aliquot Asiæ spacia cōplectatur, aliquot etiā Europæ, ea que minimè parva. Sunt qui illud in longitudinē ad septingenta milliaria Polonica seu Germanica obtinere affirment, à Livoniæ finibus usq; ad Iuhoriam in Asia: in latitudine verò ad mare Caspium ad sexcenta. Bilibaldus Pirckhaimerus Norinbergensis, qui vixit tempore Basilij magni Ducis Moscorū, in Germaniæ suæ descriptione asserit, Moscorū ditionem per quingenta milliaria Germanica & magna quidem in orientem se extendere. Cui sententiæ evidenter subscribit Mathias Miechovius rerum Polonicarum non indiligens scriptor in sua Sarmatia Europæa, dum à Smolensco per Moscoviam urbem ad Orientem progrediendo usq; ad Iuhoriam sive Iuhram, qui Moscoviæ terminus versùs Scythiā est, quingenta milliaria integra numerat. Accessère pòst Casanense & Astracanēse Tartarorum regna, à IOANNE BASILIDE tyranno Moscoviæ

scoviæ adjecta, quæ ferè ad ducenta milliaria patent. Est igitur MOSCOVIA hinc inde varijs gentibus contermina: à meridie atq; oriente Tartaris cingitur, septentrionale latus Oceanus Scythicus ambit, ad occidentem tenent Lapones gens sylvestris, nec ulli populo commercio linguæ nota. Post hos Austrū versùs incolunt Sueci, Finlandi, Livones, & juxta hos Litvani. Termini Moscoviæ.

CAPUT III.

De Chorographia Moscoviæ, ac primùm de Ducatibus.

Moscoviæ chorographia.

COntinet autem Moscovia in se Ducatus, provincias, regiones, & populos varios. Ac inter Ducatus quidem MOSCOVIA principatum tenet, provincia nec lata nimis, nec fertilis: cujus fœcunditati ager ubique arenosus, qui mediocri siccitatis aut humiditatis excessu segetes enecat, plurimùm officit. Accedit ad hæc aspera nimis aëris intemperies, quâ hyemis rigore solis calorem superante sata quandoq; ad maturitatem non perveniunt. Etenim tam intensa ibi nonnūquam sunt frigora, ut quēadmodū æstatis tempore apud nos æstu nimio, sic ibi frigore immenso terra in hiatum discedat: aqua etiam tum in aërem effusa, sputumque ex ore projectum, antequam terram contingat, gelentur. Tota porrò regio non ita diu admodum silvosa fuit, id quod ex magnarum arborum truncis, qui etiamnum extant, apparet. Quæ quamùis agricolarum studio ac operâ satis culta sit, ijs tamen, quæ in agris

Moscovia regio.

 prove-

proveniunt, exceptis, reliqua omnia ex circumjacentibus provinciis eò afferuntur. Nam frumento oleribusque abundat communibus: cerasa dulciora, nucesque (avellanis tamen exceptis) inibi non reperiuntur. Aliarum arborum fructus habent, sed insuaves. Melones autem singulari cura ac industria seminant, terram fimo permixtam in areolas quasdam altiores componunt, inque eas semen condunt. Hac arte calori ac frigori immoderato æquè succurritur. Nam si fortè æstus nimius fuerit, rimulas tanquam spiracula quædam, ne semen calore nimio suffocetur, per fimum terræ mixtum faciunt: in frigore verò nimio lætaminis calor seminibus reconditus præstat auxilium. Melle hæc provincia ferisque præter lepores caret. Animalia nostris longè minora sunt, neque tamen cornibus destituuntur, ut Miechovius refert in Sarmatia Europæa. Jam verò urbs ipsa MOSCOVIA inter reliquas Septentrionis civitates eminentissima, orientem versùs multum porrigitur, tota lignea satisque ampla, quæ procul spectantibus amplior, quam reipsa sit, apparet. Nam horti areæque in qualibet domo spaciosæ magnam Urbi accessionem faciunt, quam fabrorum aliorumque opificum igni utentium extra civitatem longo ordine protensæ ædes, inter quas sunt prata & agri, etiam adaugent. Ab urbe haud

Moscovia civitas.

longius-

longiusculè domunculæ quædam apparent, & trans fluvium villæ, ubi BASILIUS Moscorum princeps satellitibus suis novum oppidulum Nali (quod eorum linguâ infunde significat) condidit, eò quòd cùm alijs medonem cerevisiamque bibere, exceptis paucis diebus in anno, prohibitum sit, ijs solis bibendi potestas à Principe permissa sit: atque ob eam rem, ne cæteri illorum convictu corrumperentur, à reliquorum consuetudine sunt sejuncti. Propter urbem sunt quædam monasteria, quæ vel sola longè prospicientibus una quædam civitas esse videntur. Porrò vasta civitatis magnitudo facit, ut nullo certo contineatur termino, nec muro, fossâ, propugnaculisvê commodè muniri queat. Plateæ tamen quibusdam in locis, trabibus transversim ductis, obstruuntur, adhibitisque custodibus ad primam noctis facem ita obfirmantur, ut nemini noctu aditus post statam horam illac pateat; postquam qui deprehensi fortè fuerint à custodibus, aut verberantur spolianturque, aut in carcerem compinguntur, nisi vel noti honestique viri fuerint (nam hi à custodibus ad sua deduci solent). Atque tales custodiæ, quâ liber in civitatem patet aditus, locari solent; reliquam enim urbis partem Mosqua fluvius circuit, in quem sub ipsa urbe Iausa illabitur, qui ob altas ripas raro vadari potest. In hoc molendina

complu-

complura in publicum civitatis uſum fabricata ſunt; hisq; fluviis civitas nonnihil munita eſſe videtur, quæ præter paucas ædes lapideas, templa, atq; monaſteria, prorſus lignea eſt. Ædiū ea in urbe numerus vix credibilis refertur. Civitas hæc tam ampla atq; vaſta, admodùm lutoſa eſt, quā ob rem in vicis ac plateis, aliisq; celebrioribus locis, pontes passim extructi ſunt. Eſt in ea caſtrū, ex lateribus coctilibus coagmentatū, quod ab una parte Mosqua, ab altera Neglina flumine alluitur. Caſtrū autē tantæ magnitudinis eſt, ut præter amplas ac magnificè exædificatas ex lapide Principis ædes, Metropolitanus Epiſcopus, Principis item fratres, proceres, alijque quamplurimi ſpacioſas in eo ædes ligneas habeant. Eccleſiæ ad hæc in eo multæ, ut amplitudine ſua civitatis propemodem formā repræſentare videantur. Hoc roboribus tantùm initiò circumdabatur, atq; ad magni Ducis Ioannis tempora uſq; parvum ac ignobile erat. Eius caſtri propugnacula, baſilicæ, cum principis palatio more Italico erecta ſunt. Multæ autem in hoc ſunt eccleſiæ, ligneæ fermè omnes, duabus tamen inſignioribus, quæ ex lateribus conſtant, exceptis: quarum altera divæ Virgini, altera divo Michaëli Archangelo eſt ſacra. Regionis cœlum adeò ſalubre eſt, ut ibi ultra Tanais fontes, præſertim

Moſcoviæ cœlū quale.

tim in Septentrionem, atque etiam magna ex parte Orientem verſùs, memoriâ hominum nulla unquam peſtis ſævierit. Habent tamen interdum inteſtinorum & capitis morbum quendam, peſti haud disſimilem, quem ipſi calorem vocant, eo qui corripiuntur, paucis diebus pereunt. Ac cùm in tam ſalubri regione degant, ſi quando Novogrodi, Smolenſci, ac Pleſcoviæ peſtis graſſatur, quoslibet illinc venientes regione ſuâ metu contagii excludunt. Incolæ hujus Provinciæ omnibus aſtutiores & fallaciores eſſe perhibentur, fluxa imprimis in contractibus fide, cujus rei ipſi haud ignari, ſi quando cum externis commercia habent, quò majorem fidem obtineant, non Moſcos ſe, ſed advenas eſſe ſimulant. Longisſimus hic dies in ſolſtitio æſtivo ſeptendecim horarum cum tribus quadrantibus eſſe fertur. Certa poli elevatio ſciri non poteſt, quamùis nonnulli quinquaginta octo graduum ſe accepiſſe dicant. Quidam facto per aſtrolabium periculo, utcunque ſolem nono Iunij die in meridiem obſervatum quinquaginta octo graduū referūt. Ex qua obſervatione, cōputatione hominum harum rerum peritorum, deprehenſum eſt, altitudinem poli quinquaginta graduum eſſe; longisſimum autem diem ſeptendecim horarum & unius quadrantis.

Orienti

Valodimiriensis Ducatus

Orienti obvertitur VULODIMIRIENSIS Ducatus, cujus ager adeò est frugifer, ut ex uno tritici modio sæpè viginti, nonnunquam triginta modij proveniant. Eam Clesma fluvius præterfluit, cæterà sylvæ magnæ vastæque cingunt. CIVITAS ipsa magna, sed quæ castrum ligneum sibi conjunctum habet. Hæc à tempore VULODIMIRI (pòst Basilij dicti) qui eam condidit, nomenque suum indidit, Russiæ metropolis fuit, usque ad Ioannem, qui inde sedem in Moscoviam transtulit. Sita est inter Volgam & Occam, triginta sex à Moscovia in Orientem milliaribus. A Vlodimiria viginti quatuor milliarum rectà in Orientem in vastis sylvis Ducatus olim fuit, cujus populi Muromani vocabantur, animalium pellibus, melle, & piscibus abundantes.

Vlodimiria civitas,

A Vulodimiria in orientem ulteriùs procedendo, NOVOGRODIÆ inferioris Ducatus incurrit, qui Vulodimiriæ fertilitate rerumque copiâ æquatur. In hoc Ducatu est civitas ampla ac lignea NOVOGRODIA sivê Novogardia dicta, à qua & regio ipsa nomen accepit, emporio longè nobilissima, cui ob lini ac canabis optimi abundantiam inter reliquas Moscoviæ urbes facilè datur palma. Sita autem est ad Volgæ & Occæ fluviorum confluxum. Castrum huic civitati adhæret, quod BASILIUS Princeps ex lapide

Novogrodii inferioris Ducatus

Novogrodum civitas.

lapide in scopulo posuit, contra Czeremissorum impressiones. Distat autem à Moscovia centum milliaribus, & facit Christianæ religionis terminum. Nam licèt Moscorum Princeps ultra Novogardiam hanc castrum, quod Sura à fluvio ejusdem nominis indigitatur, habeat; tamen intermixtæ sunt gentes Czeremissi & Mordvvi, qui Mahometanam superstitionem amplectuntur.

A Novogrodia inferiori ad occidentem nonnihil reflectendo REZANENSIS Ducatus inter Occam & Tanaim fluvios situs est. Hæc cæterarum omnium est fertilissima provincia, in qua, ut fertur, singula grana frumenti binas quandoque pluresve spicas proferunt, quarum culmi tam densè succrescunt, ut nec equi facilè transire, nec coturnices inde evolare possint. Mellis, piscium, avium, ferarumque ibi magnus proventus, arborum etiam fructus longè Moscoviæ fructibus nobiliores. Gens animosa atq; bellicosa. In hoc Ducatu est homonyma civitas lignea juxta ripam Occæ. Erat in ea castrum, quod IAROSLAVUM vocabatur, cujus nūc præter vestigia nil extat. Prope oppidum hoc Occa fluvius insulam efficit, quæ STRUP dicitur, ingens olim Ducatus, cujus princeps nemini subjectus erat, qui jam funditus extinctus est. TULLA oppidum quadraginta ferè

Rhezanensis Ducatus.

Rhezan civitas.

milliaribus à Rezano, à Moſcovia verò in meridiem triginta ſex miliaribus diſtat: eſtque ultimum oppidum ad campeſtria deſerta, in quo BASILIUS caſtrum ex lapidibus conſtruxit, quod fluvius ejusdem nominis præterlabitur. Uppa verò alius fluvius ab Ortu caſtrum alluit, Tullæque fluvio junctus, Occam ſupra Vorotinum viginti ferè miliaribus influit, à cujus oſtiis non ita procul ODOIOVV caſtrum eſt poſitum. A caſtro Odojovv nonnihil in meridiem reflectendo, MSCZENEK locus paluſtris eſt, in quo etiamnum veſtigia extant. Circa hunc locum adhuc quidam habitant, qui neceſſitate imminente in paludes illas ceu caſtrum refugiunt. CORSYRA in ripa Occæ fluminis oppidum eſt ligneum, à Rezano viginti octo milliaribus diſtans. Habebat aliquando ſui juris dominum, ſed nunc in ditionem Moſcorum Principis redactum eſt. COLUGA oppidum & caſtrum ligneum ad Occam fluvium, triginta ſex milliaribus à Moſcovia abeſt. Conficiuntur ibi affabrè cælata pocula lignea, aliæque ex ligno res ad cultum domeſticũ pertinentes, quæ inde in Moſcoviam, Litvaniam, aliasque conterminas regiones pasſim deferuntur. Solet eo in loco Princeps quotannis præſidia ſua contra Tartarorum incurſiones habere.

Corſyra opp.

Colnga opp.

VOROTINENSIS Ducatus cum civitate

tate & caſtro cognomini, ad Occam flumen ſito, tribus ſupra Colugam milliaribus abeſt.

Vorotin: Ducatus.

A Moſcovia in meridiem dextrorſum ſi iter faciendum ſit, SEVERIENSIS Ducatus ſe oſtendit, qui à Boryſthene ad Mſcenecum oppidum longè latèque extenditur, ac denſiſſimis ferarum ſilvis clarus eſt. Ager quatenus colitur, ferax eſt: ſilvæ hermillis, aſpreolis, martibus, & melle plurimum abundant. Gens propter aſſidua cũ Tartaris bella acris & ſtrenua. Erant autem Duces Severienſes primùm juris Poloníci, ſed poſteà magnis Lithvaniæ Ducibus permultos annos parebant. Tandem à CASIMIRO Poloniæ Rege, magnoque Duce Litvaniæ, ad IOANNEM Moſcorum Principem ultro defecerunt, non magnâ re offenſi, nempe quòd cùm Vilnam veniſſent ad Regem, quodã tempore intromiſſi nõ ſint. Cùmq; unus ex illis importuniùs urgeret, ac digitum foribus paulùm adapertis inſeruiſſet janitor eundem attractis vehementiùs foribus preſſit, & confregit. Acluit quidem capite pœnam janitor, non tamen eo Principum ira ſatiata fuit: quin ij rectà ad Moſcum profecti, ei ſe ſuaq; omnia ſubjecerunt. Verùm tandem, prout aliis multis Moſcorum Duci ſubjectis contigit, perfidiæ innocenter accuſati, à BASILIO tyranno principatu exuti ſunt. Caſtra oppidaq; in eo ſunt non pauca,

Seuerien. Ducatus.

inter

inter quæ Novogrodecum Severienſe dictum, Starodubum, Potivolum, Czernihovum, & Branſcum celebriora ſunt. NOVOGRODECUM oppidum & arx lignea, in qua olim Ducũ Severienſium ſedes erat, diſtat à Potivolo octodecim, à Starodubo verò quatuordecim miliaribus. Ad hoc oppidum à Moſcovia dextrorſum meridiem verſùs per Colugam, Vorotiniam, Serenſcum, & Branſcum centum quinquaginta milliaribus pervenitur. Czernihovum triginta à Kiovia miliaribus, totidem à Potivulo abeſt. Starodubum à Potivulo triginta duobus: Potivolum verò à Moſcovia centum quadraginta, Kioviâ ſexaginta, Branſco triginta octo miliaribus diſtat. Euntibus Potivolo in Tauricam per ſolitudinem, fluvij Sna, Samara, & Ariel occurrunt, ex quibus poſteriores duo latiores profundioresque ſunt: in quibus traijciendis dum viatores diutius nonnunquam detinentur, à Tartaris ſæpe circumveniuntur capiunturque. Poſt hos Koinskavoda, & Moloſcha fluvij ſe oſtendunt, quos novo quodam trajectionis genere ſuperant: reſectas arbuſculas in faſces colligant, quibus ſe ſuaque imponunt, atque ita remigantes ſecundo fluvio in alterum littus deferuntur. Alij hujusmodi faſces caudis equorum alligant, qui flagris impulſi, natantes in alterium

Novogrodecũ Severienſe.

rius littus, homines ſecum trahunt, transferuntque.

Sequitur SMOLENSCENSIS Ducatus urbe ingenti inſignis, ad Boryſthenem fluvium exædificatâ. Arcem muro cinctam in ulteriori fluminis ripa habet, in qua plurima ædificia lignea in civitatis formam extructa ſunt. Hanc una ex parte Boryſthenes munit, ex altera verò foſſis profundis, ſtipitibusq; acutis munitur: in medio autem arcis templum divæ Virginis in ſcopulo locatum eſt. Hanc urbem & arcem BASILIUS Moſcorum princeps ſæpius, & quidem graviter oppugnabat, ſed novercante belli fortunâ nil efficere potuit, donec Michael Glinſcius Dux Ruſſus ad prædictum Baſilium, interfecto per inſidias Ioanne Zabrezinio, magno Lithvaniæ Mareſchalco, rerum tum potiente SIGISMUNDO I. profugit, & arcem SMOLENSCUM denuò ingentibus cum copiis Moſcorum acerrimè obſedit. Cùm verò nec obſtinatâ oppugnatione, nec terribili tormentorum apparatu ac vi quicquam profeciſſet, ad dolos & machinas argenteas confugit, præſidioque largitionibus corrupto, haud magno labore SMOLENSCO potitus eſt, centeſimo, poſtquam à VITOLDO magno Lithvaniæ Duce Lithvaniæ adjecta fuiſſet, anno. Quæ recens di-

Smolenſcen Ducatus.

vino favente numine & auſpiciis SIGISMVNDI III Regis victorioſisſimi vix per ſeſquianni ſpacium obſidione cincta, tandem in poteſtatem regiam venit. Quam fortunam ut Deus perpetuare ſinat, optandum meritò. CIVITAS ipſa in valle ſita, collibus undique & ſilvis ſpiſſis, quibus pellium diverſarum multitudo provenit, circumvallatur. Diſtat autē SMOLENSCUM à Moſcovia octoginta milliaribus, quamvis communiter centum computentur. Hunc principatū ſub BASILIO Moſcorū principe VITOLDUS magnus Litvaniæ Dux Moſcis anno ſupra milleſimū quadringenteſimū decimo tertio ademerat. Eundem BASILIUS anno milleſimo quingenteſimo decimotertio SIGISMUNDO I Poloniæ Regi eripuit. Sunt & alia hujus Ducatus oppida & caſtra, videlicet Drohobus & VViesma, oppida lignea ad Boryſthenē poſita, quorum illud à Moſcovia ſeptuaginta duobus, à Smolenſco octodecim milliaribus: hoc verò à Moſcovia quadraginta, à Moſaiſco viginti ſex, à Drohobus octodecim milliaribus abeſt.

Smolenſcum civitas.

MOSAISCUM quoque oppidum & caſtrum ligneum, circa quod magna diverſicolorū leporū copia eſt, ſoletque ibi Princeps quotannis venationes inſtituere ſuas, ac Principum diverſorum oratores audire. Diſtat autem à Moſcovia meridem versùs octodecim milia-

Moſaiſcum op:

miliarium intervallo, à Vieſma verò viginti ſex.

BIELÆ SIVE BILLOIÆ Ducatus tantæ amplitudinis nō eſt, ut longâ opus ſit commemoratione. Habebat quondā proprij juris Principē, qui Litvaniæ Principibus tributarius erat. In hoc Principatu BIELA civitas cū caſtro Obſehæ fluvio vicina eſt, in vaſtis ſilvis. Itaque à Moſcovia ſexaginta, à Smolenſco verò triginta ſex milliaribus abeſt.

Bielæ Ducatus.

RSOVIÆ Ducatum Volga fluvius celebrem facit, in quo civitas & arx lignea ejuſdē nominis Volgæ ripis proxima conſpiciuntur. Diſtat autem à Moſcovia Occidentem verſus viginti tribus milliaribus. Ultra hanc civitatem aliquot milliaria Occidentē verſūs procedendo, ſilva eſt Wolkovvkſi les dicta, in qua palus Vronovv, ex qua fluvius quidam emergit, duobus milliaribus emenſis, in lacum Volgo influens, unde rurſus aquarum multitudine adauctus egreditur, Volgaq; à lacu, ex quo ortum habet, indigitatur. Oppida Ducatus hujus ſunt VOLOCZ civitas & caſtrū, ad Occidētē æquinoctialē viginti quatuor miliaribus à Moſcovia ſeſe protendentia, à Moſaiſco duodecim ferè, à Tvvera viginti. Hîc Princeps Moſcoviæ quotannis conſvevit animū, falconibus lepores inſectando, relaxare. WIELIKOLUKI caſtrū & oppidum in occidentem, à Moſcovia centum quadragintā, à Novogar-

Rsoviæ Ducatus

Volocz op: & caſtrum.

vogardia magna sexaginta ferè, Polocia verò triginta sex miliaribus distat: ab amplitudine ac frequentia urbis circumjacentis regionis totius amœnitate nomen induit, estque ab utraque fluminis ripa arci latissimè circumjectum, quamvis mœnibus ac turribus ligneis, fossis etiam satis amplis munitum. Arcem hanc sanè munitissimam divus STEPHANUS Rex in bello Moscovitico feliciter oppugnavit & expugnavit. TOROPECZIA castrum cum civitate inter Vuielicolucum ac Smolenscum ad confinia Litvaniæ, à Vielicoluco octodecim ferè miliaribus abest. Hæc arx cum cæteris sibi adjacentibus, videlicet, Drohobus, Biela, & Bransco bona cum Severiensis Ducatus parte uno eodemque tempore per deditionem in Moscorum Principis IOANNIS BASILII potestatem devenerunt, regnante tum Alexandro Poloniæ Rege, magnoque Litvaniæ Duce.

Toropeczia op. & castrum.

TVUERENSIS Ducatus ampla olim ditio, una ex magnis Russiæ principatibus, ad Volgam fluvium, triginta sex miliaribus in occidentem æstivalem à Moscovia distans, habet oppidum ingens, quod Volga interfluit. In altera autem ripa, quæ Tuera Moscoviam spectat, castrum habet, ex cujus opposito Tuerza fluvius Volgam influit. Porrò CIVITAS hæc sedes erat Episcopalis, vivente IOANNE Moscorum

Tuerēsis Ducatus.

Tuuera opp.

scorum Principe Basilij patre, quo tempore Tverensem principatum magnus Dux BORIS tenebat. Cujus postea filiam Mariam JOANNES Moscoviæ Princeps uxorem duxerat, ex eaque Ioannem primogenitum susceperat. Borisso autem mortuo MICHAEL filius successit, qui postea à sororio suo Moscorum Principe Ioanne ejectus, exul in Lithvania vitâ defunctus est. Hæc civitas monetam argenteam habet propriam, quæ valore Moscoviticæ æquatur. TERSACK oppidum decem milliaribus à Tvveria, ejus pars dimidia Novogardiæ, altera Tuerensi dominio suberat.

NOVOGARDIAE magnæ Ducatus olim celeberrimus ex totius Russiæ Ducatibus erat. Cujus imperium RURICUS Varajus sorte sibi oblatum imprimis administrabat, & tandem post eum successores ejus latissimè ad Græciam usque imperium suum extendebant. Est autem civitas famigerata, quam Volchovv fluvius percurrit, qui ex Ilmen lacu vix medio milliari supra civitatem emergens, in lacum Neoa, quem nunc Ladoga ab oppido ei adjacente appellant, illabitur. NOVOGARDIA porrò in Occidentem æstivalem à Moscovia centum viginti milliaribus distat: à Plescovia triginta sex, à Vielicoluco quadraginta, ab Ivvanovvgorodo totidem. Cæterùm

Novogardiæ magnæ Ducatus.

Novogardia Civitas.

terùm urbs hæc olim, dum floreret, suique juris esset, latissimam ditionem in quinq; partes distributam habebat, quarum quælibet non solùm de publicis ac privatis rebus cognoscendis ad ordinarium ac competentem suæ partis magistratum referebat, verùm in sua duntaxat civitatis regione contrahere res qualscunque, ac commodè cũ aliis civibus suis conficere poterat: nec licebat cuiquam ad aliquem alium ejusdem civitatis magistratum quacunq; in re provocare. Quo tempore ibidem Russiæ, imò Septentrionis totius maximũ erat emporium: ingens enim mercatorũ turba undiq; ex Litvania, Polonia, Svecia, Dania, ipsaq; Germania eò cõfluebat, civesq; ex tam frequenti multarũ gentium concursu opes suas augebant. Imperiũ ejus magna ex parte in Orientẽ atq; Septentrionẽ extenditur, Livoniam, Finlandiam, atq; Norvegiã ferè contingebat. Habuit etiam Novogardia Principatus, ad Orientem, Dvvinam & Volochdam: ad meridiem verò dimidiam partem Tersack oppidi, nõ longè à Tuera. Ac quamuis hæ provinciæ, quòd fluviis ac paludibus oppleantur, steriles sint, commodèq; habitari nõ possint: nihilominus ex ferarũ pellibus, melle, cerâ, ac piscium copiâ magnum faciunt quæstũ. Principes porrò, qui ipsorum Reipublicæ præessent, suo arbitrio ac voluntate constituebant, imperiumq; augebant, vicinas

nas gentes quavis sibi ratione devinciendo, ac stipendio, tanquam juramento quodã proposito, in sui defensionem obstringendo. Ex ejusmodi gentium, quarum operâ Novogrodenses in conservanda Republica sua utebantur, societate factum est, ut Mosci suos se ibi præsules habere gloriarentur, Litvaniq; vicissim eos sibi tributarios assererent. Hunc principatum, dum Archiepiscopus consilio & autoritate sua administraret, IOANNES Moscoviæ Princeps invaserat, septem integros annos gravi eos bello premẽs. Tandẽ anno Christi millesimo quadringẽtesimo septuagesimo septimo ad fluviũ Scholona conflictu Novogrodensi superans, certis quibusdã conditionibus ad deditionem eos cõpulit, præfectumq; suo nomine ibi imposuit. Cùm verò absolutum in hosce imperium nondum se habere putaret, neque sine armis id se assequi posse cerneret, sub religionis prætextu, ac si à Russico ritu deficere volentes, in fide contineret, Novogardiam venit, eamque hac simulatione occupavit, inque servitutem redegit. Archiepiscopum, cives, mercatores externos bonis omnibus spoliavit, trecentosque currus inde auro, argento, gemmisque onustos Moscoviam abduxit. In hac urbe erat olim idolum quoddam nomine PERUN, eo loci, quo nunc est monasterium, Perunski monaster, ab idolo eodem nuncupatum.

 Hoc

Hoc à Novogrodensibus præcipuè cultu latriæ adorabatur. Habebat autem formam hominis, lapidem ignitum manu tenentis, fulmini similem. Perun enim Russis & Polonis fulmen significat. In hujus laudem ac honorem ignis ex quercubus, qui perpetuò die nocteque arderet, construebatur. Quod si negligentiâ ministrorum, ad hoc officium obeundum designatorum, ignem extingui contingeret, capitis pœnâ plectebantur. Habet Novogardia in solstitio æstivali longissimum diem octodecim horarum, & ultra. Regio multò frigidior ipsâ Moscoviâ. RUSS antiquum oppidulum est sub ditione Novogardiæ, à qua duodecim miliaribus abest. Habet salsum fluvium, quem amplâ fossâ in lacus modum cives coercent, indeque aquam per canales pro se quisque in ædes suas derivant, & sal coquunt. IVVANOVVGORODVM castrum JOANNES Moscoviæ Princeps, à quo etiam nomen acquisivit, apud ripam Nervæ fluvij lapide exædificavit, distat à Novogardia magna quadraginta, à Plescovia totidem milliaribus. Juxta hanc arcem est civitas lignea Narva, à fluvio denominata, ubi Novogrodenses & Plescovienses merces suas deponere consuêrunt. Est ibi quoque ex adverso in altera ripa Livonum castrum & civitas, ab eodem fluvio Narva vocata, atque hæc duo castra Narva fluvius interfluens,

Russ op.

Ivvanovgorod castrum.

Narva op.

terfluens, Moscoviæ olim imperium à Livonia disterminabat. JAMMA castrum duodecim ab Ivanovvgorodo & Narva milliaribus situm est, ad Plussæ fluvij ostia Septentrionem versus. Deinde spacio quatuor milliarium à Jamma castrum & civitas Coporogia dicta ad fluvium homonymum occurrit. Hinc ad Septentrionem viginti quinque miliaribus per Oresfek & Corelam oppida ad fluvium Polna pervenitur, qui Moscoviam à Finlandia Svecorum Regi subjectâ discriminat.

Iamma castrum.

Coporogia op.

PLESCOVIÆ Principatus amplissima olim & sui juris ditio, à JOANNE Moscorum Principe anno supra millesimum quingentesimum nono occupatus est. In eo est urbs, quondam florens ac potens, variarumque gentium commercio nobilis. Sola in toto Mosci imperio muris circundata, inque quatuor partes, quarum singulæ mœnibus suis includuntur, divisa. Russis Pskovv dicitur, alluiturque ad Septentrionem Pskovvâ fluvio, unde urbi nomen est. Ea à suis aliquando Principibus dominata, sacerdotum proditione in BASILII potestatem venit, qui statim eversâ Republicâ veros cives per vim ejecit, eosque vinculis constrictos in Moscoviam relegavit, substitutis in eorum locum Moscis, quos fideliores futuros arbitrabatur. Hanc urbem pòst STE-

Plescovien: Ducatus.

PHANI Regis Poloniæ expeditio clariorē fecit. Distat autem Plescovia in Occidentem triginta sex milliaribus à Novogardia, ab Ivanovvogorodo quadraginta, totidē à Vielicoluco. Facilis ex Plescovia in mare Balthicum esset navigatio, sed scopuli quidam non longè ab Ivvanovvgorodo & Nerva castris Livoniæ finibus obstaculo sunt, ubi à duobus milliaribus emensis Nerva fluvius pluribus fluvijs haustis in mare exoneratur.

Plescovia urbs.

BIELOIEZERENSES Ducatus est regio ampla, in Septentrionem ad ingentē ejusdem nominis lacum sita: à quo & regio ipsa, & civitas cū castro nomen traxit. Sonat autē Russis idem, quod lacus albus. Porrò civitas paludibus ita undiquaq; circūsepta est, ut inexpugnabilis esse videatur. Quâ re Moscorum Principes ducti, thesauros ibi condere sueverūt. Abest autē BIALOIEZIORO in Septentrionē centū milliaribus à Moscovia, totidemq; à Novogardia magna. Regio penè tota paludosa, silvosaq; est, ideoq; viatoribus difficilem præbet transitū, ægrèque ad eam, nisi stratis pontibus, concretisq; glacie aquis, pervenitur. Lacus ipse duodecim milliarib. in lōgitudinē, totidē in latitudinē patet, in quē trecenti (ut fertur) & sexaginta fluvij exonerantur. Hujus loci indigenæ proprium habent idioma, quamùis nunc ferè omnes Russicè loquantur. Longissimū hi diem in solstitio æstivali habere dicuntur

Bialoiezioren: Ducatus.

Bialeiezioro civitas.

tur decem & novem horarum. Et quanquam ibi longior hyems sit, fruges tamē eo, quo in Moscovia, tempore & maturescunt, & colliguntur. A lacū hoc intra teli jactū est alius lacus sulphur proferens, quod fluvius quidam ex eo manans, ceu spumas supernatantes affatim secum defert. VGLICZ civitas cum castro ad Volgæ littus sita, distat à Moscovia viginti quatuor, à Iaroslavia triginta, à Tvvera quadraginta milliaribus. Cæterùm hæc prædicta castra sunt in meridionali Volgæ ripâ, civitas verò ex utraque parte. CHLOPIGOROD locus, in quē Novogrodiensium servi confugerunt, de quibus sic annales Russorum. Accidit, dum Novogrodenses Corsunum Græciæ, civitatem ad septentrium obsidione gravi premerent, uxores interim eorum moræ pertæsæ, tum etiam de salute & adventu maritorum dubitantes, servis nuberent. Expugnata tandē civitate, cūm victores mariti ex bello reversi æreas portas urbis devictæ, ac magnam quandam campanam secum attulissent, servique heros, quorum uxores duxerant, vi repellere conarentur: heri indignitate rei moti, depositis armis, lora & fustes tanquam in mancipia arriperent. Quibus servi territi, inque fugam conversi, loco quodā, qui etiamnū Chlopigorod, hoc est, servorum castrum dicitur, se reciperent, defenderentque: verùm ab heris victi, suppliciis affecti sunt meritis.

Vglicz op. & castrum.

Chlopigorod castrum.

Eò loci

Eò loci nundinæ in toto Moſci imperio ſunt frequentisſimæ. Etenim præter Svecos, Livones, atque Moſcos, Tartari, aliæque quàm plurimæ gentes ex Orientalibus Septentrionalibusque partibus confluunt, quæ rerum tantùm permutatione utuntur. Rarus enim ac ferme nullus apud has gentes eſt auri argentive uſus. Veſtes factas, acus, cultellos, cochlearia, ſecures, aliaque ejusmodi plura pellibus permutant.

Pereaslauia. PEREASLAVIA civitas & caſtrũ, à Septentrione aliquantùm vergens in Orientem, viginti quatuor à Moſcovia abeſt miliaribus. Sita autem eſt ad lacum, in quo, ut in inſula Solovvki, Selgi piſciculi capiuntur. Ager ſatis fertilis eſt, in quo perceptis frugibus Princeps venatione tempus fallere ſolet. Eſt in eodem agro lacus, ex quo ſal decoquitur. Per hanc civitatem proficiſcuntur, quibus Novogardiam inferiorem, Caſtromam, Jaroſlaviam, & Vgliczam eundum eſt. In his partibus vera itinerum ratio propter crebras paludes & ſilvas haberi non poteſt.

Roſtouien: Ducatus. ROSTOVIÆ Ducatus inter præcipuos & antiquiores Rusſiæ principatus poſt Novogardiam magnam olim habebatur, ac ſecundò genitis magnorum Ducum Moſcoviæ attributus erat, quorum poſteri per Ioannem Moſcorum Principem eo exuti ſunt. Eò ex Moſcovia rectà per Pereaſlaviam itur, à qua decem abeſt miliaribus. In hoc Ducatu eſt civitas & arx lignea ejusdem nominis, in qua Archiepiſcopus ſuam habet ſedem. Sita eſt ad lacum, ex quo Cotorea fluvius, qui Iaroſlaviam præterlabitur, emergit, Volgamque influit. Soli natura fœcunda eſt, piſcibus inprimis ac ſale dives. Roſtovia op.

Ieroslaviæ Ducatus. IEROSLAVIENSIS Ducatus regio maximè ferax, eâ præſertim parte, quæ ad Volgam vergit. Ineſt ei inſignis civitas homonyma cum caſtro ad Volgæ ripam, à Roſtovia duodecim diſtans miliaribus, rectâ itinere ex Moſcovia ſumpto. Paruit ea per annos multos Ducibus ſuis, quos JOANNES Moſcorum tyrannus, ſimili erga Roſtovienſes perfidiâ uſus, vi oppresſit. Celebratur propter coria, ſevum, ac fruges, quibus plurimùm abundat, quas tantâ copiâ Moſcoviam convehunt, ut aliquando antemeridiano tempore videas ſeptingentas vel octingentas trahas, ultro citroque commeantes, fruges vel ſalſamenta vehentes. Ieroslavia civitas.

Susdalien: Ducatus. SUSDALIENSIS Ducatus cum cognomini caſtro ac civitate, in qua ſedes Epiſcopalis eſt, Roſtoviæ ac Volodimiriæ adjacet, inter præcipuos olim Rusſiæ Ducatus referebatur, ac reliquarum adjacentium civitatum metropolis erat. Creſcente

pòst imperio Moſcovitico, ſede Moſcoviam translatâ, Principum ſecundò genitus eſt attributus : quorum poſteri tandem per Ioannem tyrannum eo exuti ſunt. Eſt hîc inſigne Veſtalium monaſterium, in quod Salomea Baſilii magni Ducis conjunx, ab ipſo repudiata, incluſa erat. Inter omnes Moſcoviæ Principatus ſoli ubertate, rerumque omnium copiâ Rezan primas ſibi vendicat: ſecundùm hanc ſunt Jeroſlavia, Roſtovia, Pereaſlavia, Susdalia, Volodimiria, quæ fertilitate terræ proximè accedunt. CASTROMOVVGOROD civitas cum caſtro, in Volgæ littore ad Orientem æſtivalem viginti ferè à Jaroſlavia abeſt miliaribus, à Novogardia inferiori quadraginta circiter. Fluvius, à quo civitas nomen elicuit, ibidem Volgam influit.

Caſtromovvgorod op.

GALICZIENSIS Principatus cum civitate & caſtro homonymo, ex Moſcovia in Orientem per Caſtromovvgorod euntibus occurrit. Hîc propter immenſas paludes, ac ſilvas magnas vera itinerum ratio obſervari non poteſt.

Galicz. Ducatus

CAPUT IV.

De provinciis & regionibus Moſcoviæ.

Dvvina provincia.

DVVINA provincia in ipſo Septentrione ſita, cui Dvvina fluvius ex Jugæ & Sucanæ amnibus ortus nomen

nomen indidit, extenditur ad centũ miliaria, ſed munitionibus vacua eſt. Hæc provincia præter Colmogoram caſtrũ, & Dvvinam civitatem, caſtrũ item Pienega in ipſis Dvvinæ oſtijs poſitum, oppidis caſtrisque caret. Pagos tamen complures habere fertur, qui propter terræ ſterilitatem longè latèque diſtant. Incolæ victum ex piſcibus, feris, ferarumq; pellibus quærunt, quibus omnis generis abundant, his pro pane cõtenti. In maritimis hujus regionis locis urſos albos, eosq; majori pro parte in mari degentes reperiri ajunt: quorum pelles Principi inſtar tributi incolæ offerunt.

CORELA provincia proprium idioma habet, ſexaginta ferè & ampliùs miliaribus à Novogrodo in Septentrionem diſtans. Ea quamùis à finitimis quibusdam gentibus tributum exigit, nihilominùs & ipſa Sveciæ Regi, & Moſco ratione dominij Novogrodenſis tributaria eſt.

Corèla provincia.

SOLOVVKI inſula in Septentrionem inter Dvvinam & Corelam à continenti octo miliaribus in mari viſitur, quæ quantum à Moſcovia diſtet, propter denſas paludes, ſilvas, & vaſtas ſolitudines certa intervalli ratio non habetur. Sal in ea inſula copioſiùs decoquitur. Eſt ibidẽ monaſteriũ, in quod mulierẽ aut virginẽ ingredi grande piaculũ eſt. Hîc etiam eſt piſcatio piſcium

Solovvki inſula.

piſcium Selgorum copioſa, qui halecibus non abſimiles ſunt. Solem in hoc loco æſtivali ſolſtitio perpetuò, duabus tantùm horis exceptis, ſplendere ajunt.

Voczka regio.

VOCZKA regio inter Occidentem ac Septentrionem ſita, viginti ſex aut ad ſummum triginta à Novogrodo miliaribus abeſt, in que ſiniſtrâ caſtrum Jvvanovvgorodum relinquit. Hac in regione hoc prodigij loco refertur, animalia, cujuscunq; generis in eam inducta fuerint, colorē ſuum in albedinē mutare.

Vſtiuga provincia.

A DVVINA ex Septentrione in meridiem progrediendo, VSTIUGA provincia à civitate & caſtro, quæ ad Suchanā fluvium ſita ſunt, nomen nacta occurrit. A Volochda centum miliaribus, à Bieleieziero centum quadraginta abeſt. Hæc priùs ad oſtia fluvij Jug, qui ex meridie in Septentrionem fluit, ſita erat, pòſt propter loci commoditatem ad dimidium ferme miliare ſupra oſtia poſita eſt, vetusque nomen adhuc retinet: nam Ruſsis Vſteie oſtium eſt, unde Vſtiug, quaſi oſtium Jug dicitur. Hæc provincia olim ſubjecta erat Novogardiæ magnæ. Eſt autem hîc rarus & propemodùm nullus panis uſus, incolæ ex piſcibus ac feris victum quæritant. Sal ex Dvvina advehitur. Idioma proprium, quamùis Ruſsico magis utantur, habent. Zobellinæ pelles ibi nec multæ, nec

excellen-

excellentes: aliarum tamen ferarum pellibus abundant, vulpinis præſertim nigris.

Volochda provincia.

VOLOCHDA provincia Orientem inter & Septentrionem, habet civitatem ejusdem nominis & caſtrum naturâ loci munitum, in quo Moſcorum Princeps theſauri ſui partem neceſsitatis tempore condit. Abeſt à Jeroſlavia quinquaginta miliaribus, à Bieleieziero ferè quadraginta. Regio tota paludibus ſiluisque obſita: unde fit, ut exacta itineris ratio ob frequentes paludes ac fluviorum anfractus hoc quoque in loco obſervari nequeat. Porrò Volochda fluvius in Septentrionem civitatem præterfluit, cui Suchana ex lacu, cui Koinski nomen, emergens, octo miliaribus infra civitatem jungitur, nomenque Suchanæ retinet, atque inter Septentrionem & Orientem labitur, olim Novogardiæ magnæ ditioni ſuberat.

Viatka provincia.

VIATKA provincia ultra Kamam flumen in Orientem æſtivalem centum quinquaginta ferè à Moſcovia, ab Vſtiuga centum viginti, à Caſano ſexaginta milliaribus abeſt. Regioni fluvius cognominis nomen dedit, in cujus littore ſunt Chlinova, Orla, & Slovoda. Regio paluſtris eſt, aquis irrigua, & ſterilis, ſervorum fugitivorum velut aſylum quoddam, melle, feris, piſcibus, aſpreolisque affluens. Hæc olim Tartaricæ ditionis erat, adeò, ut adhuc hodie ultra

citra-

citraque Viatkam, maximè in ostijs, quibus Kamam fluvius ingreditur, Tartari imperent.

Permia prouincia. PERMIA ampla magnaque provincia à Moscovia centum quinquaginta milliaribus, rectâ inter Orientem ac Septentrionem distat. Civitatem ejusdē nominis ad Viscoram fluvium habet, qui decem infra Camam miliaribus influit. Eò propter crebras paludes & fluvios terrestri itinere vix nisi hieme pervenitur: æstate verò per Volochdam, Vstiugam, Viczechdamq; fluvium, qui duodecim ab Vstiuga milliaribus Dvvinam influit, navigijs iter hoc faciliùs conficitur. Incolæ regionis pro pane ferarū carnibus vescuntur, & loco tributi equos pellesq; quotannis Principi pendunt. Idioma à Russico diversum habent: characteres item proprios, quos Stephanus Episcopus, qui eos in fide Christiana vacillantes confirmàrat, primus adinvenit. Supersunt adhuc ex ijs in silvis passim plures idololatræ, quos monachi eò proficiscentes non cessant ab errore, vanoque cultu revocare. Hyeme peregrè profecturi, soleas sive calceos ligneos oblongos, sex ferme palmarum longitudine (qui Artach sive Nartæ vocantur) pedibus induunt, & baculo oblongo vel hastâ suffulti, rapidissimo cursu per invia nivesqne feruntur. Canibus, quos hunc in usum magnos habent,

habent, pro jumentis utuntur, quibus sarcinas vehiculis circumvehunt. Ajunt eam provinciam Orientem versùs Tartarorum provinciæ, quæ Tumen dicitur, esse conterminam.

SIBIOR provincia Permiam & Viatkam contingit, quæ castris & civitatibus caret. In hac oritur Iaick fluvius, qui Tartarorum campestribus præterlapsis in mare Caspium exoneratur. Regio tota ferè palustris & silvestris est, & propter Tartarorum viciniam magna ex parte deserta. Incolæ ejus proprio idiomate utuntur, panis usum nesciunt, ferinâ interim carne victitantes. Mercimonia maximè ex aspreolorum pellibus, quæ aliarum provinciarum aspreolis magnitudine ac pulchritudine excellunt, exercent, easque tributi instar Moscorum Principi pendunt. Sibior provincia.

JUHARIA sive Juhra ad Oceanum Septentrionalem sita est, ex qua olim Vngari, cùm longo tempore ad Mæotidis paludes consedissent, loci sterilitate, ut credibile est, offensi, ad Danubij ripas commigrârunt, occupatâq; Pannoniâ eam de suo nomine Juhariam primùm, & pòst literis paululum immutatis Vngariam appellarunt. Quo nomine Mosci gloriantur, quòd eorum subditi magnam Europæ partem olim sint depopulati. Iuharia prouincia.

Ajunt

Ajunt Juharos in hunc diem eodem cum Ungaris idiomate uti. Hi quoque pisces pro tributo Principi offerunt. Ac quamùis gemmæ unionesque illinc in Moscoviam afferantur, non tamen in eorum Oceano colliguntur, sed aliunde, præcipuè verò à littoribus Oceani, ostijs Dvvinæ vicinis, advehuntur.

Peczora provincia. PECZORA Moscoviæ Principis ditio longo tractu in Septentrionalem plagam fines suos juxta mare glaciale extendit. Denominata est à fluvio ejusdem nominis, qui à meridie fluens in Oceanum glacialem juxta oppidum & castrum Pusteieziero dictũ, sex amplis ostijs exoneratur. Incolæ hujus regionis simplicissimi sunt, idioma proprium habentes: panis apud eos nullus usus. Pelles ferarum varias Moscorum principi pendunt pro tributo. In ostijs Peczoræ fluvii est castrum & oppidum PVSTEIEZERO, ultra quod in littore Oceani Septentrionalis variæ gentes sunt, quæ communiter Russis Samoiedz, hoc est, seipsos comedentes appellantur. Ad eundem Peczoram fluvium est castrum & oppidum PAPINOVVGOROD: cujus accolæ Papini nuncupantur, diversumque à Russico idioma habent, & Principi Moscorum tributa solvunt.

Pusteiezero op. & castrũ.

Papinovgorod op. & castrum.

Obdoria regio. OBDORIA à fluvio præterlabente Obdi denominationem accepit, qui ex lacu Kitaisko ortus, ab Oriente in Septentrionem labitur. In hac regione ad ostia Obdi est quoddam idolum antiquissimum, è lapide excisum, quod Moscis Zolota Baba, id est, aurea anus dicitur. Est autem statua in formam cujusdam anus, quæ infantem in gremio tenet: atque ibi jam denuo alter cernitur infans, quem ejus nepotem esse nugantur. Sunt ibi instrumenta quædam posita, perpetuum sonum in modum tubarum edentia, quæ forte vehementi ventorum & perpetuo in ea instrumenta flatu fiunt. Hoc idolum à Vogulicis & Hugris Moscorum vicinis sanctè colitur, quod oraculi Delphici instar futura quærentibus respondere soleat. Ab Obdi fluvio à parte sinistra ascendendo, Calami populi in campestribus degentes occurrunt, Moscorum Principis tributarij.

CONDORIA ad Oceanum Septentrionalem sita, Obdoriæ conjuncta, perpetuo gelu & invijs nemoribus damnata est. Ejus indigenæ proprio idiomate utuntur, & aureæ anus idolum cum Obdorianis colunt, ferarum carnibus, quibus omnis generis affluunt, pro cibo utuntur, pelles verò varias Moscorum Principi pro tributo solvunt. Regio civitatibus, castris, pagisque prorsus nuda. Condoria regio.

LUCOMORIA regio longo tractu juxta mare Septentrionale extenditur, & ab incolis sine ullis Lucomoria regio.

 ædibus

ædibus in ſpeluncis ferarum habitatur. Huic confines ſunt Grustinczi & Serponovvczi populi, à castro Gru-ſtina, ad lacum Kitayſko poſito, dicti, ubi Oby fluvius ſuprà dictus fontes ſuos habet. Ab hoc lacu plurimi homines nigri, communis ſermonis expertes, veniunt, merces varias, inprimis autem gemmas unionesquè ſecum adferentes, quas Gruſtinczi & Serponovvczi mercantur. Hi à castro Serponovv Lucomoriæ ultra Oby fluvium in montibus ſitæ nomen habent. Lucomoriæ autem hominibus portentoſum quiddam ac incredibile, fabulæque perſimile accidere ajunt, quos in ſingulos annos nempè viceſimâ ſeptimâ Novembris die, quæ apud Ruſſos divo Georgio ſacra eſt, præ intenſo frigore mori ajunt, ac vere inſequenti maximè ad viceſimam quartam Aprilis ranarum & hirundinum inſtar reviviſcere. Cum his quoque Gruſtinczi & Serponovvczi nova & aliàs inconſveta habent commercia. Cùm enim ſtatum moriendi ſeu dormiendi tempus ipſis imminet, merces certo deponunt loco, quas Gruſtinczi & Serponovvczi, relictis ſuis interim æquâ commutatione mercibus, auferunt. Eas illi ſi redivivi, ſi iniquiore æſtimatione abductas eſſe viderint, rurſus repetunt, unde lites plurimæ ac bella inter eos oriuntur.

CAPUT

CAPUT V.

De populis Moſcoviæ.

A Lucomoria ulteriùs ad Oceanum glacialem procedendo, LOPPI populi barbarie ac feritate rigentes, in campeſtribus & ſilvis degentes occurrunt. Loppi Populi. Hi nuſqvam certas habent ſedes, ſed uno in loco feris piſcibusque, quibus victitant, (panis enim uſum ignorant) depaſtis, aliò commigrant. Quàmvis verò pane, ſale, aliisquè gulæ irritamentis careant, ſolisquè piſcibus ac feris utantur, multùm tamen in libidinem proni eſſe perhibentur. Sagittarii ſunt omnes peritisſimi, adeò, ut ſi quas nobiliores in venatione feras nanciſcantur, eas, quò pelle integrâ & immaculatâ potiantur, miſſâ in proboſcidem ſagittâ, necent. Mercatores, aliosquè hoſpites peregrinos domi cum uxore, venatum euntes, relinqvunt, reverſi, ſi uxorem hoſpitis conſvetudine lætam, ac ſolito hilariorem reperiant, munere aliqvo hunc donant: ſin minùs, turpiter ejiciunt. Jam conſvetudine hominum externorum, qui qvæſtus gratiâ eò commeant, innatam feritatem deponunt, ac manſvetiores fiunt. Mercatores libenter admittunt, à quibus ex craſſo panno veſtes, item

 ſecu-

ſecures, acus, cochlearia, cultri, pocula, farina, ollæ, idque genus alia ipſis afferuntur: ita ut coctis jam cibis veſcantur, humanioresque mores induerint. Veſtibus ex diverſis ferarum pellibus, zobellinis, hermellinis, cervinis, & id genus aliis inſimul conſutis utuntur, eorumque hujusmodi veſtitus interdum in Moſcoviam à mercatoribus defertur, pileis etiam atque caligis ex cervinis pellibus confectis induuntur. Tuguriola ſua, in quibus habitant, corticibus arborum ceſpitibusque tegunt. Nullus illis aureæ argenteæque monetæ uſus, ſolâ rerum permutatione contentis: & cùm aliorum idiomata non calleant, apud exteros muti propemodum eſſe videntur. Tributi loco pelles & piſces, cùm aliud non habeant, pendunt. Perſoluto autem annuo tributo, nemini ſe quicquam debere, ſuique ſe juris eſſe gloriantur. Regio, quam inhabitant, frigidisſima eſſe putatur. ſolem ibi ſolſtitij æſtivalis tempore quadraginta diebus perpetuò ſplendere (tribus noctis horis exceptis) ferunt, quibus ſol velut quadam caligine obducitur, ut radij illius non appareant. Nihilominùs tamen laborantes ab opere ſuo excluduntur. In his quoque partibus montes in altum eminentisſimi eſſe dicuntur, qui ad Aetnæ ſimilitudinem flammas ſemper eructant, in quibus ſalaman-

lamandræ, quæ in igne non ſecus ac piſces in aquis vivunt, creſcere perhibentur.

CZEREMISSI populi ſub Novogardia inferiore in ſilvis habitant, peculiarem hi lingvam habent, Mahometíque impietatem ſeqvuntur. Regi Caſanenſium nunc parent, quamvis maxima eorũ pars Moſcorum Principi olim tributaria eſſet, unde ſubditis Moſcoviæ adhuc accenſentur. Hæc gens à Viatka & Volochda ad fluvium Kamam uſque longè latèque ſine ullis ædibus habitat. Omnes tam viri, quàm fœminæ curſu ſunt velocisſimi, ſagittarii peritisſimi, arcu nunqvam è manibus depoſito: qvo adeò oblectantur, ut etiam filiis cibum non præbeant, niſi præfixum ſcopum ſagittâ feriant. Duobus milliaribus à Novogardia inferiore plurimæ erant domus ad civitatis oppidíque ſimilitudinem, ubi ſal decoquebatur. Hæ paucos ante annos à Tartaris exuſtæ, Principis juſſu reſtitutæ ſunt. Czeremissi.

A Novogardia inferiore Orientem ac Meridiem verſùs, vaſtæ ingẽtesq; occurrunt ſylvæ, quas MORDVVI, Czeremisſis moribus & fide vicini, longisſimo ad Volgam tractu inhabitant, qui vicinitate & animorum conjunctione gaudentes, pagos condiderunt, & agros colunt. Idioma proprium habent. Melle, diverſisquè animalium pellibus precioſis abundant, homines Mordvvi

mines duri & bellicosi, Tartarosquè latrocinantes à finibus suis fortiter propulsant, omnes ferè pedites incedunt, arcubus oblongis utuntur, sagittandiquè peritiâ pollent, feras præstantiores, ut pelles earum integræ & intactæ maneant, in nasum sagittâ missâ interficiunt. Eorum qvidam Mahometi sectam seqvuntur, qvidam in idololatria perseverant. Vectigal annuum Moscorum Principi pellibus solvunt. Mulieres eorum decoris causâ ungves nigro colore artificialiter inficiunt, apertòque capite ac crinibus passis semper spectantur. His admixti sunt Czeremisi alii, qvos montanos appellant, eò quòd ad vastissimorum montium radices plerunque commorantur sine ministerio civili, sine veste, cui incubent, ut à primis annis duritiæ parsimoniæque adsvescant.

Czeremissi montani

Tartari.

His confines populi sunt TATARI, quos Tartaros propter immanitatem Tartaricam dici usus obtinuit, de quibus in genere priùs quædam ex annalibus Russicis referenda. Ajunt Moabitenos populos, qui postea Tartari dicti sunt, homines lingvâ, moribus, habituque à reliqvorum hominum ritu consvetudineque dissidentes, ad Kalka fluvium pervenisse; qui, unde venissent, quo religionis dogmate uterentur, ignotum fuisse. Martinus Cromerus Historicus rerum Polonicarum exqvisitissimus opinatur, eos Scythicam

Tartarorum origo.

thicam gentem, sive a fluvio, sive à multitudine nomen habeat, esse. Hi cùm antè ultra Caspium mare, & intra Imaum montem ad orientem solem, ignoti Græcis juxta & latinis, habitàssent, circa annum Christi millesimum ducentesimum secundum, vel, ut alii volunt, millesimum centesimum octogesimum octavum finibus egressi, devicto & interfecto Indorum Rege, cui servierant, Asiam penè omnem victores longè lateque pervagati, & Volgâ fluvio transmisso ad Occidentem progressi, Polovvcziis Russorum vicinis bellum intulerunt. Incoluerunt autem Polovvczii campestria ad Tanaim & Mæotidem loca, indeque finitimorum ac Slavorum lingvâ Polovvczii & Polovczii, non valde diverso à Polonis nomine, appellati sunt. Quàmvis autem ii perpetui Russorum hostes erant, necessitate tamen adacti, opem eorum implorârunt. Nec defuêre Russi auxilia invocantibus in communi periculo, qvin legatos Tartarorum monentes, ne sese eo bello implicarent, contra jus gentium interemerunt. Commisso prælio, victores Tartari magnâ strage Polovvczios & Russos fudêre ac fugavêre. Fugientes autem Russos ipsi etiam Polovvczii excepêre, ac spoliatos trucidavêre. Munitiones deinde Polovvcziorum expugnatæ, ipsi deleti, & omnis illa

circa Tanaim & Mæotim ora cum Taurica Chersoneso à Tartaris habitari cœpta.

De Regibus seu Ducibus ipsorum hæc produntur. BATHUM Tartarorum Ducem circa annum Christi tricesimum sextum supra millesimum ducentesimum magno cum exercitu à meridie in septentrionem progressum, Bulgariam, quæ ad Volgam infra Casanum est, occupâsse, & anno sequenti in Moscoviam perrexisse, eam longè latèque vastâsse, tandemq; in suam potestatē redegisse, Georgio Principe ipsorum cæso. Exquo tempore omnes ferè Russorum Principes Tartaris tributarii fuère, atque ex ipsorum arbitrio Duces sibi constituêre usque ad VITOLDUM magnum Lithuaniæ Ducem, qvi ditiones suas à Tartarorum armis masculè defendens, vicinis omnibus terrori fuit. Magni autem Volodimiriæ & Moscoviæ Duces usq; ad Basilium, qui tandem Tartarorum jugum excussit, semper in præstita semel Tartarorum fide atque obedientia permansère. Batho in principatu ASBECK successit, mortuus circa annū Christi millesimum trecentesimum vicesimū sextum, cui filius SANABECK suffectus est, qui fratribus suis, ut solus sine metu regnaret, occisis, moritur anno quadragesimo supra millesimum trecentesimum octavo. Hunc BERDEBECK secutus, qvi fratribus duode-

Reges seu Duces Tartarorum

duodecim pariter mactatis, obiit anno quinquagesimo supra millesimū trecentesimum nono. Post qvem ALCULPA à Narusso qvodam regulo cum liberis statim ab initio imperii interfectus, non ultra mensem imperavit Cui CHIDIR succedens, à filio THEMEROSCHA occisus est, qui regno per scelus parto vix septem diebus potitur. Posthos THACHAMISCH imperium nactus, anno millesimo trecentesimo octogesimo secundo, cum exercitu egressus, Moscoviam ferro igneque depopulatus est, qui à Themirkuthlo profligatus, ad VITOLDUM magnum Lithuaniæ Ducem profugit. THEMIRKUTHLU verò regnavit ferè triennium, cui SCHATIBECK filius substitutus est Post qvem THEMIRASSACK, cùm exercitum Rhezanum ad devastandam Moscoviam ingentem duxisset, tantum Moscis terrorem incussit, ut desperatâ victoriâ, armis abjectis, ad Divorum tantùm auxilium confugerent.

Dividuntur autem Tartari in Hordas, in qvibus Zavolgensis & celebritate & multitudine facilè primas fert, reliqvæ enim omnes ex ea originem sumpsisse dicuntur. Significat autem horda illis conventum seu multitudinem, & quælibet peculiare nomen habet, scilicet Zavolgensium, Casanensium, Præcopiensium, Nohajensium, &c. quæ omnes Mahometanam

Tartarorum divisio in hordas.

 superstiti-

ſuperſtitionem ſectantur. Sunt autem Tartari CASANENSES cultiores reliquis, utpote, qui & agros colant, in domibus degant, mercaturasque varias exerceant. Quos BASILIUS Moſcorum tyrannus eò adegit, ut ei ſe ſubjicerent, atque ejus arbitrio Reges acciperent. Quod illis partim ob fluviorum oportunitatem, qui ex Moſcovia in Volgam influunt, partim ob commercia mutua, qvibus illi carere non poterant, factu haud difficile fuit.

Nohaicenses. Poſt Caſanenſes Orientem verſùs procedendo, Tartari NOHAICENSES primi occurrunt, qui ultra Volgam circa mare Caſpium ad fluvium Iaick habitant. Hi duntaxat Duces habent, provinciaque in tres dividitur Ducatus: qvorum primus cum civitate Scharaiczik ultra Volgam verſùs Orientem, cum adjacente ad Jaick fluvium regione extenditur, Scharaicenſisque Ducatus dicitur. Secundus eſt inter Kamam, Jaick, & Volgam fluvios. Tertius Sibiorenſis provinciæ partem, & omnem circumjacentem regionem posſidet. Atque hæ regiones fere ſiluoſæ ſunt, exceptâ eâ, quæ ad Scharaiczik vergit.

Zavolgenses. ZAVOLGENSIUM Tartarorum horda ſeu turma à Caſanenſi regno & Nohaicenſi horda nõnihil in meridiem reflectendo ſequitur. Aſcivit autem cognomen à Volga, qui eam longo tractu interfluit. Hæc quaſi Princeps cæterarum omnium olim extitit, incolarum videlicet multitudine, ac rerum geſtarum fortitudine, locique affluentiâ & opportunitate, ex qva cæteri omnes Tartari campeſtres ortum genusque duxêre. Hæc autem horda inter Volgam & Jaick fluvios juxta mare Caſpium ſita eſt. Hîc ſemen quoddam melonum ſemini haud abſimile, paulò tamen majus ac rotundius, creſcere dicitur, ex quo in terram condito qviddam agno perſimile quinque palmarum altitudine ſuccreſcit. Idque eorum linguâ Boranecz, qvod agnellum ſonat, vocatur. Nam & caput, oculos, aures, cæteraque omnia in formam agni recens editi, pellem præterea ſubtilisſimam habet, quâ plurimi in iis regionibus ad ſubducenda capitis tegumenta utuntur. Fertur inſuper, plantam illam (ſi tamen plantam vocari fas ſit) ſangvinem qvidem habere, carnem verò nullam: ſed carnis loco materiam quandam, cancrorum carni perſimilem, ungulas porrò non vt agni corneas, verùm pilis qvibusdam ad cornu ſimilitudinem veſtitas: radicem illi ad umbilicum ſeu ventris medium eſſe, vivere autem tamdiu, donec depaſtis circùm ſe herbis, radix ipſa pabuli inopiâ areſcat. Hi Tartari Reges ſui juris ad ALEXANDRI uſque Poloniæ Regis tempora habebant. Sed tandem SACHMAT Zavolgenſium Rex ultimus

Boranecz ſemen agno ſimile.

mus ob injuriam quandam, qvam olim Crimsciis prædecessores ejus intulerant, à Machmetgireio Tauricæ Rege regno exturbatus est. Qui ad ALEXANDRUM Poloniæ Regem, magnùmque Lithuaniæ Ducem profugit, ut inito cum eo fœdere, conjunctis viribus Mahometkireium ejicerent. Cùm verò Alexander Rex lõgiùs bellum differret, interim Mahometkirejus Zavolgensium Regis exercitum profligavit, totumque ejus regnum subegit. Atque hic Zavolgensium Regum imperii finis fuit, cum quibus & Astracani Reges, qui quoque ex iisdem Regibus originem traxerunt, unà periere. Quibus ita extinctis, Regis Tauricæ potentia majorem in modum adaucta, vicinis gentibus terrori fuit, qui pòst ad majora animum applicuit, Mamaique Nahaicensi Principe sibi adjuncto, Tauricam anno millesimo quingentesimo vicesimo quarto cum exercitu egressus, Regem Astracanum adortus est, cujus urbem, cùm illâ relictâ metu profugisset, obsidione cinctam occupavit. Interim Mamai se cum Nahaicensi Principe Agi conjungit, veritus, ne Machmetkirejus, in se fratremquè armis conversis, regno utrumque exuat, aut in servitutem abducat, non multò post Mahmetkirejum domi securiùs agentem cum Sultano filio, facto impetu, obtruncant, majorem ejus exercitus partem fundunt, reliquosque in fugam

vertunt, ac ultra Tanaim Tauricam usque insequentes fugant: Præcop civitatem obsident, tentatisque omnibus solutâ obsidione domum redeunt. Horum ergo operâ Rex Astracanensis regno suo iterum potitus, viresque regni Tauricani cum Mahmetkireio conciderunt. Post quem frater ejus Sadachgireius auxilio Turcæ, cui tum serviebat, regnum suæ potestatis fecit: qui cùm Turcicis moribus imbutus, rariùs præter Tartarorum morem in publico versaretur, neque se subditis conspiciendum præberet, à Tartaris ejicitur, inque ejus locum ex fratre nepos surrogatur. A qvo cum Sadachgirei captus fuisset, nepotem, ne cæde in se sæviat, sed senectutis suæ misereatur, ac reliqvum vitæ in castro aliqvo privatim agere permittat, orat & impetrat. Ultra Viatkam & Casanum Tartarorum tres hordæ habitant, qvi Tumenski, Schibanski, & Kosaczki vocantur. Ex quibus TUMENSKI in silvis habitare, decemque millium numerum ajunt non excedere. Tumenski. Alii præterea Tartari trans Volgam sunt, qui quòd soli capillos nutriunt, Kalmuchi nuncupantur, & ad mare Caspium Schamachia, à qua etiam regio nomen acquisivit, ita appellati. Kalmuchi. Incolæ in texendis sericeis vestibus excellentes, qvorum civitas sex dierum ab Astracano abest, quam unà cum regione Rex Persarum hoc tempore possidet. A-

Astracanenses. ASTRACANENSE regnum, post Nohaicenses & Casanéses ad mare Caspium situm, complures civitates habet, ex qvibus ASTRACANUM urbs opulenta, magnumque Tartarorum emporium, à qua etiam regnum nomen obtinuit, ad Volgæ ostia cōdita est. Eo loco Volga septuaginta ostiis in Caspium mare exoneratur, multasque ibi insulas facit, tantâque aqvarum copiâ ingreditur, ut procul spectantibus mare esse videatur. Hoc regnum olim sui juris erat, Regesq; hæreditarios habebat: verùm à JOANNE Basilide Moscorum tyranno unà cum urbe tandem subjugatum est.

Kyrgessi. KYRGESSI Tartari catervatim in campis degunt, qvos mortuos loco sepulturæ arboribus suspendunt. Iis finitimi sunt BASCHIRDI Tartari ab Occidente, & HIESELITI ab Oriente. Baschirdi & Hieseliti. Ab iis ultra Imaum montem longo tractu progrediendo ad Oceanum Scythicum, Molgomozani, Baydaique Tartari occurrunt, Molgomozani & Baidaii. in castris cavernisq; subterraneis vitam degentes, omniumq; animantium, & reptilium, serpentum, vermium, murum, & id genus aliarum rerum incomestibilium carne vescentes. His contermini sunt Macriti & Samogitæ. A regno Astracanensi in Meridiem reflectendo, circa Mæotidis paludes & Pontum Euxinum ad fluvium Cupa, qui paludes influit, APHGASI populi sunt, ubi etiam usque ad fluvium Merulam, qui Pontum Euxinum illabitur, montes occur-

runt, quos CIRCASSI Tartari Pietiorscii dicti, hoc Circassi. est quinquemontani incolūt: viri martii, montiumq; asperitate freti, nec Turcis, nec Tartaris parent. Eos tamen Christianos esse, suis legibus vivere, in ritibus & ceremoniis cum Græcis convenire, lingvâ Slavonicâ, quâ utuntur, sacra peragere Rusi testantur. In castris, ut cæteri Tartari, vivunt, & in propinqvorum funeribus pompas ducunt, inque memoriam mortis amicorum auriculam integram partemve ejus, amorem testificantes, sibiipsis amputant. Piratæ audacissimi sunt, quippe fluviis, qvi ex eorum montibus fluunt, navibus in mare delapsi, quoscunq; possunt, spoliant, eos præsertim, qui ex Capha Cōstātinopolim navigant. Inter Casanense & Astracanense regna, longo secundùm Volgam tractu, ducentis & triginta milliaribus ad Borysthenem usq; campi deserti sunt, quos Tartari Campi deserti. nullis sedibus certis inhabitant, præter Asoph & Achas civitates, quas magna Tartarorum pars incolunt, certas sedes habētes. In his prædictis campis civitas Krim, olim Regum Tauricæ sedes, à qua Krimsci denominabantur, posita est. Postea toto Isthmo, spacio mille ducentorum passuum ad insulæ formam perfosso, Reges Tauricæ, non Crimscii, sed PRÆCOPSCII, ab illa Præcopscii sive Crimscii. nimirum perfossione sumto vocabulo, nomen nacti sunt. Hæc autem civitas PRÆCOP in Taurica Chersoneso, ab Asoph quinque dierum itinere abest,

Porrò tota Cherſoneſus ſilvâ quadam per medium ſcinditur, eaque pars, quæ Pontum reſpicit, in qua Capha inſignis urbs, tota Turcis paret. CAPHAM autem emporium totius Aſiæ celebre Mahometes Turcarum Imperator, Conſtantinopoli expugnatâ, Genuenſibus proditione qvorundam Genuenſium, ademit. Alteram peninſulæ partem Tartarus tenet. Omnes autem Tartari Præcopienſes ſive Crimſcii, qui nunc Tauricam incolunt, originem ſuam ex Zavolgenſi Tartarorum horda ducunt: cùmque propter inteſtinam ſeditionem regno pulſi fuiſſent, nec uſquam in vicinia firmam habere ſedem poſſent, hanc Europæ partem occupavêre, ac veteris injuriæ haud immemores, diu cum Zavolgenſibus variis bellorum eventibus belligerârunt, donec eos prorſus regno exuerent, Regesque eorum delerent. Ad Boryſthenis oſtia Oczakovia caſtrum & civitas, quam Tauricæ Rex Lithuaniæ Principibus ademptam poſſidet, extructa eſt, quam nunc Turca tenet. Diſtat à Præcopia quatuordecim milliaribus, à Circaſs circa Boryſthenem ad Præcopiam quadraginta, ſupra Circaſſos ſeptem milliaribus per Boryſthenem aſcendendo, Cainovv oppidum occurrit, à quo decem & octo milliaribus eſt Kiovia. Porrò ab hac civitate Oczakovv Tartari Præcopenſes, qui eam incolunt, Oczakovvſci dicuntur, frequen-

Oczacovv opp. & caſtr.

quenterque varijs excurſionibus Podoliam, & aliquando Lithvaniam ipſam, cæterasque Ruſſiæ partes infeſtant, prædasque & ſpolia cum hominibus abigunt, maximè verò hujusmodi excurſiones facere ſolent, cùm illis ſtipendia conſveta à Rege Poloniæ juſto ſeriùs retinentur. Solet enim Rex Poloniæ huic Regi Tauricæ ſtipendia certa quotannis pendere, eâ conditione, ut operâ illius, quavis urgente neceſſitate, adverſùs hoſtes ſuos utatur; præcipuè verò ad Moſcorum principis regiones infenſandas, unde & Moſcus miſſis ſubinde muneribus aliquando illum ſibi devincire ſolet. Tartarus verò muneribus interdum utrinque acceptis, utrumque etiam vanâ ſpe lactat. Regi tamen Polonorum impenſiùs fideliùsque militat, Moſci provincias ipſius in gratiam divexans, atque igne ferroque vaſtans.

CAPUT VI.

De Moſcoviæ ſolo.

Eſt autem MOSCOVIA omnis ferè plana & campeſtris, maximè, quâ ad Occidentem & Septentrionem. Montes ibi nulli, niſi circa Peczoram fluvium Semnoi Poyas, id eſt, cingulus mundi vel terræ; montes altisſimi, ad ripas usq ſe protendentes, quorum vertices ob continuos ventorum flatus omni

Moſcovia plana & câpeſtris.

Montes Semnoi Poyas.

prorsus materiâ gramineque ferè carent. In his montibus nidificant falcones varij, præsertim gerofalcones sive hierofalcones, & sacri, & peregrini, quos priscorum Principum luxus in aucupiis non agnovit. Crescunt etiam illic arbores cedri, circa quas nigerrimi zobelli reperiuntur. Atque in Principis Moscorum ditione hi montes soli cernuntur, qui fortassis veteribus Riphæi vel Hyperborei montes visi sunt: & quòd perpetuis nivibus ac glacie rigeant, transirique ægerrimè possint, Engroneland provinciam incognitam faciunt. BASILIUS Moscorum Princeps aliquando ad exploranda ultra hos montes loca, gentesque subjugandas, duos præfectos Ducum genere oriundos per Permiam & Peczoram miserat, quorum unus ex illis, Simeon Pheodorovvicz ex Iarosllaviorum Ducum prosapiâ, Sigismundo Herberstenio Baroni legato Cæsareo, de illis montibus sciscitanti, decem & septem in ascendendo dies se consumpsisse dicebat: neque tamen montis verticem, qui patrio nomine Stolp, hoc est, columna nuncupatur, attingere potuisse. Extenditur mons ille in Oceanum usque ad ostia Dvvinæ & Peczoræ fluviorum. Silvis, saltibus, ac nemoribus plena est Moscovia,

Silvæ. cujus bonam partem Hercynia silva occupat, reperiuntur ibi, præsertim ea in parte, quæ ad Prussiam vergit,

git,

git, uri feroces & ingentes, quos bisontes alii vocant, item alces, ursi magnitudinis raræ, lupi prægrandes, nigro colore formidabiles. Ferunt & hi saltus feram, qvam Rosomackam vocant, mirabilem, quæ satura ac distenta duorum stipitum angustias quærit, per quas se transmittens, ventris onus, quod aliàs non egeritur, excolat. Vitem, nec oleam, nec paulò svavioris pomi frugiferam arborem, præter melopepones & cerasa, eaque austera producit, cùm teneriora quæque gelidissimis Boreæ flatibus exurantur. Tam intensum enim ibi frigus esse dicitur, ut ex humidis lignis in foco structis destillans liquor in stiriam concrescat. Tanta diversitas tantillo spacio, ut hinc prunam, illinc glaciem in eadem face cernas: imò tāta est nonnunqvam frigoris vis, ut radicitus arbores arescant, & aqua editiori ex loco effusa, antequam terram contingat, congeletur. Id quod in bello Moscovitico, quod STEPHANUS Poloniæ Rex adversùs Moscorum tyrannum gessit, præsertim in obsidione Plescovianâ, experiundo complures milites cognovêre Poloni. Ubi tanta aëris inclementia erat, ut, ubi quis extra tabernaculum vix pedem protulisset omnibus ferè membris, iis potissimùm, quæ maximè aëri patebant, naribus, auribus,

 atque

atque facie gelu aſtrictis emoreretur. Campi tamen tritici, ſiliginis, milij, panicique, & omnis generis leguminum ſegetes ferunt, ſed certisſima meſsis in cera ac melle conſiſtit. Regio enim tota fœcundisſimis apibus plena eſt, quæ non in manu factis agreſtium alvearibus: ſed in ipſis arborũ cavis probatisſima mella conficiunt. Hinc per ſilvas & opacisſimos ſaltus frequentia ac nobilia apum examina ramis arborum pendentia videre eſt, quæ nullo æris crepitu colligere ſit neceſſe. Reperiuntur ſæpe favorum ingentes maſſæ arboribus conditæ, veteraque mella deſerta ab apibus, cùm ſingulas arbores in vaſtis nemoribus rari agreſtes minimè perſcrutentur: ita ut in admirandæ crasſitudinis arborum ſtipitibus permagnos mellis lacus aliquando reperiant. Fertur de quodam agricola, qui quærendi mellis cauſa in grandem cavam arborem ſupernè deſilijt, profundoque mellis gurgite pectore tenùs hauſtus fuit, ac biduo vitam melle ſolo ſuſtinuit, cùm vox opem implorantis in ea ſilvarum ſolitudine ad viatorum aures penetrare nequiviſſet: ad extremum verò deſperatâ ſalute mirabili caſu ingentis urſæ beneficio inde extractus evaſit, cùm fortè ejus beluæ ad edenda mella, more humano ſe demittentis, averſos renes manibus comprahendiſſet, & eam ſubito timore exterritam, ad exiliendum tum tractu ipſo

Moſcovia apibus plena.

ctu ipſo, tum multo clamore concitâſſet. Linum quoque & canabim in reſtes, multaque item boum tergora, & maſſas ceræ ingentes Moſci in omnem Europæ partem mittunt. Auri, argentive, vel ignobilioris metalli, ferro excepto, vena apud eos nulla reperitur, nullumque eſt totâ regione, vel gemmarum, vel precioſi lapilli veſtigium: omnia ea ab externis populis petũt. Naturæ tamen injuria, quæ tot bona prorſus inviderit, uno nobilisſimarũ pellium mercimonio reſarcitur.

CAPUT VII.

De fluviis, lacubus, piſcibus, & paludibus.

FLuvios non paucos habet MOSCOVIA, eosque navigabiles, qui ſunt præcipui: Moſcus, Occa, Tanais, Sura, Cleſma, Vgra, Vujesma, Volga, Boryſthenes, Volchov, Narva, Volochda, Vaga, Viatka, Peczora, Vſſa, Obdy, Coſſin. MOSCUS in Tvverenſi regione quatuordecim ferè ſupra Moſaiſcum miliaribus, haud procul à loco, qui Oleſno dicitur, fontes habet, indeque emenſis ſedecim miliaribus ad Moſcoviam civitatem decurrit, receptisque in ſe aliquot fluviis Orientem verſus, Occam fluvium illabitur. Cæterùm ſex ſupra Moſaiſcum miliaribus primùm navigabilis eſſe incipit: quo loco materia ad fabricandas domos aliosque uſus ratibus impoſita Moſcoviam

Fluvii Moſcoviæ

Moſcus

 ſcoviam

scoviam defertur. Fluvius non admodum piscosus, ut qui præter vulgares & viles nullos pisces habet. OCCA non procul a Msceneco oritur, lautissimorum piscium ferax est, & campos, quos irrigat, fertilissimos reddere putatur. Vorotiniam, Colugam, Cerpacum, Corsyram, Columnam, Rezanam, Casinogorodum, & Muriniam alluit, tandemque Volgam infra Novogardiam inferiorem ingreditur, silvis utrinque clauditur, quæ melle, aspreolis, hermelis, & martibus plurimùm abundant. Effundit Senum & Sosnam, ex quibus SEM primò in Meridiem profluens, & mox cursu in Orientem converso Severiensem Ducatum præterit, oppidoque Potivolo salutato, non procul à Czernihova Disnam bibit. SOSNA autem cursu in Orientem directo, per Tartarorum campestria in Tanaim defertur. TANAIS fluvius nominatissimus, qvi Europam ab Asia disterminat, octo ferme à Tulla oppido in meridiem milliaribus oritur, ex lacu quodam ingenti Ivvanovviezièro dicto, qui in longitudine & latitudine circiter centum milliaria extenditur, in que silva Okoniczkilies, vel, ut alij volunt, Iepiphanovvlies ortum habet. Ex hoc lacu Schad & Tanais, duo flumina magna, emergunt. Schad in Occidentem, Uppa fluvio in se recepto, Occam inter Occidentem & Septentrionem devolvitur. Tanais autem

Occa.

Tanais.

tem

tem, Moscis Don, primo cursu rectà in Orientem fluit, atque inter Casimum & Astracanum Tartarorum regna, sex vel septem milliaribus à Volga fluvio, cursu nonnihil in Septentrionem incurvato, labitur, dein reflexo in Meridiem cursu paludes facit, quas Mæotidis vocant, ad cujus ostia ASOPH civitas Turcis tributaria condita est, quæ priùs Tanas vocabatur. Supra hanc quatuor aut quinque dierum navigatione ab Isthmo Tauricæ, quæ nunc Præcop dicitur, distat. Hic fluvius ab optimorum piscium copia singulari, item amœnitate, quòd utraque fluminis ripa diversis herbis radicibusque suavissimis, adhæc arboribus fructiferis plurimis variisque, in modum horti, quasi industriâ quadam exculta atque consita sit, satis commendari non potest: & quòd tanta ferarum, quæ parvo negocio sagittis conficiuntur, ibi sit multitudo, ut per ea loca iter facientes ad vitam sustentandam nullâ alia re, igni tantùm saleque excepto, indigeant. Est etiam alter Tanais minor, qui in Severiensi Ducatu ortum ducit, unde Donecz Severski nuncupatur, qui supra Asophum in Tanaim defertur. SURA ex meridie decurrens infra Novogardiã in Volgam exoneratur. Moscorũ terrã à Casanensi regno separat, quod ad Volgæ ripas longissimè porrectũ, meridiem orienteq; versus.

Tanais minor.

Sura.

versus.

versus latissimos & fertilissimos Tartarorum campos habet. CLESMA quatuor à Moscovia milliaribus oritur, multisque ibi molendinis celebris, ac commodus est, qui infra Volodimiriam usque ad Murinum oppidũ in Occæ littore situm, spacio duodecim milliarium navigatur, Occæque fluvio jungitur. VGRA profundus & lutosus, non longè à Drohobus in silva quadam oritur, interque Colugam & Vorotinum in Occam exoneratur. Is fluvius olim Litvaniam à Moscovia dividebat. VUIESMA oppido ejus nominis nomen dedit, qui haud procul inde uno ferè milliari in Borysthenem fertur: solentque oneratæ mercibus naves inde Borysthenem devehi, atque pòst vicissim adverso Borysthene Viesmam usque portari. VOLGA ex palude VVronovv ortum sumens, omnem ferè Moscoviam pererrat, emensisque Casanensium & Astracanorum terris, aliorumque Tartarorumque desertis, septuaginta ostiis in mare Caspium sive Hircanum influit. Vocatur autem Volga à Tartaris Edel, à Ptolomæo Rha: tantaque inter hunc & Tanaim in campestribus est vicinitas, ut septem duntaxat miliaribus distare affirment. BORYSTHENES juxta pagum quendam Dnepersko fontes habet, unde ab incolis Dnepr vocatur. Haud procul ab eo loco est monasterium sanctæ Trinitatis, ubi oritur alius fluvius prio-

Clesma. Vgra. Viesma. Volga. Borysthenes.

us priore major, Dneprecz per diminutionem dictus. Ambo autem hi fluvij inter Borysthenis fontes & paludem Vronovvo confluunt, quo loco Moscorum Chlopigrodensium merces navibus impositæ in Lithvaniam deferuntur, solentque mercatores ibi in monasterium ceu diversorium divertere. Est autem Borysthenis cursus hic, ut meridiẽ primùm respiciens Vviesmam salutet, mox cursu in Orientem verso Drohobusium, Smolenscum, Orsam, Dubrovvam, Mohilovamque prætereat: indeque rursus meridiei obversus Kioviam alluat, atque tandem per Tartarorum deserta ad Præcopienses delatus, in Pontum Euxinum multis fluminibus receptis exoneretur. DVVINA lacus à fontibus Borysthenis decem ferè miliaribus, & totidẽ à palude VVronovv distat. Ex eo fluvius ejusdem nominis Occidentem versùs, qui à Vilna viginti miliaribus abest, ac dein in Septentrionem decurrit, & prope Rigam mare Germanicũ illabitur: alluit Vitepscum, Poloscum, & Duneburgum. LOVATUS cæteris tribus minimè comparandus, oritur inter lacũ Dvvina, ac paludem Vvronovo, aut ex ipsa palude. Est autem ille fluvius, ut Russorum annales habent, in quem S. Andreas Apostolus ex Borysthene per siccum naviculam traduxit, & qui emensis quadraginta ferè miliaribus Vielicolucum alluit, inque Ilmen lacum influit.

Dvvina. Lovatus.

Volchovv. VOLCHOVV Novogardiam interlabitur, emensis-
que triginta sex miliaribus Ladoga lacum ingreditur,
qui in latitudinem sexaginta, in longitudinem cen-
tum penè miliaribus, insulis tamen quibusdam inter-
jectis, patet: effunditque magnum fluvium Neoa,
qvi Occidentem versùs in Germanicū mare sex ferme
Narva. milliaribus decurrit. NARVA ex lacu Czuczko ori-
tur, duobus in se fluviis receptis, Pskovva & Vvelikare-
ka, qvi venit ex meridie, Opoczkam oppidum Plesco-
viâ à dextris relictâ præterfluit, tandemque mare Livo-
Volochda. nicum influit. VOLOCHDA oppido & castro Voloch-
dæ nomen imposuit, eamq; in Septentrionem præter-
labitur, cui Suchana fluvius ex lacu Koinskavvoda e-
mergens, octo milliaribus infra civitatē jungitur, no-
menque Suchanæ retinet, atque inter Septentrionem
Vaga. & Orientē labitur. VAGA inter Bieleieziero & Voloch-
dam in paludibus densissimisq; silvis oritur, ac Dvvi-
nam fluviū illabitur. Accolæ, quòd pane ferè careant,
venatione victitant. Capiuntur ibi vulpes nigræ, &
coloris cinericei. VIATKA, qui regioni ejusdem no-
Viatka. minis nomē dedit, in Camam se exonerat, ad cujus o-
stia Czeremissi latrocinātur. PECZORA regioni etiam
nomen tribuit, à meridie fluens in Oceanum glacialē,
juxta oppidum & castrum Pusteiezioro sex amplis o-
stiis exoneratur. Ultra hunc fluvium montes illi sunt
alti-

altissimi, ad ripas usq; protensi, de quibus antè. Circa
ostia hujus fluvij, quæ sunt dextrorsū ab ostiis Dvvinæ,
varia magnaq; in Oceano animalia esse dicuntur. In-
ter alia autē animal quoddā, bovis magnitudine, quod
accolæ MORS appellant. Breves huic instar castorum
sunt pedes: pectore pro reliqui corporis sui proportio- Mors animal terribile in mari & terra degens.
ne aliquantò altiore latioreque, dentibus superioribus
duobus in longum prominentibus. Hoc animal so-
bolis ac quietis causâ cum sui generis animalibus O-
ceano relicto gregatim montes petit: ubi, antequàm
somno, quo naturâ profundiore opprimitur, se dede-
rit, vigilē gruum instar ex suo numero constituit. Qui
si obdormiscat, aut fortè à venatore occidatur, reliqua
tum facilè capi possunt: sin mugitu, ut solet, signum
dederit, mox reliquus grex excitatus, posterioribꝰ pedi-
bus dentibus admotis, summâ celeritate tanquā vehi-
culo per montē delapsi, in Oceanū se præcipitant: ubi
in supernatātibus glacierum frustis pro tempore etiam
quiescere solent. Ea animalia venatores solos ob dētes
insectantur, ex quib. Mosci, Tartari, & inprimis Tur-
cæ gladiorum ac pugionum manubria affabrè faci-
unt, hisque pro ornamento magis, quàm ut graviores
ictus incutiant, utuntur. VSSA fontes suos habet in Vssa.
monte Poyas Semnoi, qui ab ortu æstivali ad lævam
est, fluitque ex ingenti ejusdem montis saxo, quod Ka-

 men

men Bolſchoi vocant. Ab Vſſæ fontibus usq; ad ejus oſtia ultra centum miliaria numerantur. Porro Peczora à meridionali hac parte hiemali fluit, à quo ex Vſſæ oſtiis aſcendendo, usque ad Suchagoræ fluvij oſtia, iter trium hebdomadarum eſt.

Obdy. OBDY oritur ex Kitaysko lacu ampliſſimo, cujus adeò vaſta latitudo eſt, ut ad ſedecim milliaria in latitudinem pateat, quē navigantes vix bidui ſpacio traijciunt. Piſcibus adeò abundat, ut navigantium remigiis premantur.

Coſſin. COSSIN ex Lucomoriæ montibus delabitur, in hujus oſtiis Coſſin caſtrū eſt. Eò à Coſſini fluvij fontibus eſt duorum menſium iter. Porrò ex ejusdem fluvij fontibus alter fluvius

Caſſima. CASSIMA oritur, emenſâque Lucomoriâ in magnum fluvium Tachnin influit, ultra quem prodigioſæ formæ homines habitare perhibētur, quorum alij ferarum more toto corpore pilis horrent: alij caninis capitibus, alij prorſus ſine collo pectus pro capite habent, longasque ſine pedibus manus.

Tachnin Eſſe adhæc & in TACHNIN fluvio piſces quosdā fertur, capite, oculis, naſo, ore, manibus, pedibus, alijsque humanâ prorſus formâ, nullâ tamen voce.

Lacus. Habet & Moſcovia lacus, qui deciduo ſyderum ſemine piſces generant.

Lacus albus. In his Princeps eſt lacus albus, Moſcis BIELEIEZIERO, ad duodecim millia in longitudinem, totidemque in latitudinem extenſus, qui gremio ſuo trecentos, & ſexaginta fluvios excipit, ſolo tantùm Soſna in Volgæ fauces emiſſo. Qui & hoc nomine memorabilis eſt, quòd arx munitisſima in eo ſit extructa, quò Moſcorum Princeps gazam confert ſuam, ſi quādo belli terror adſit.

Sulphureus. Ab hoc lacu intra teli jactum, eſt alius lacus, naturam ſulphuris referens, vel ipſum etjam ſulphur proferens. Inſcitiâ tamen gentis ejus ibi nullus uſus eſt.

Lacus Ioannis. Secundùm hunc eſt IVVANOIEZIERO, id eſt, lacus Iohannis, qui ad centum miliaria ſe extendit.

Kitay. In lacu KITAY Obdy fluvius fontes ſuos habet Ab hoc lacu hominis nigri, ſermonis expertes, ad Gruſtinam arcem, omnis generis merces adferentes, venire aſſolent, quas illius loci incolæ ab ijs emūt, vel mercibus permutant.

Ilmen. ILMEN lacus ſupra Novogrodiam in longitudinem octodecim milliarium, in latitudinem verò duodecim patens, duos præter alios celebriores flnvios excipit, Lovatum & Scholona. Is ex quodam lacu emergit, unum verò emittit VOLCHOVV, qui Novogardiam interlabitur, decurſisq; triginta ſex milliaribus LADOGAM lacum ingreditur.

Dvvina. DVVINA lacus à fontibus Boryſthenis decem ferè miliaribus, totidem à palude Vronovvo diſtat. Ex eo fluvius ejusdem nominis Occidentem verſùs, qui à à Vilna viginti abeſt milliaribus, ac dein, in Septentrionem deflectit, & prope Rigam mari commiſcetur. Sunt & alij lacus non pauci, ſed ignobiles, Lagoda,

Czuczko, Kulvius, & quidam alij. Nec hîc prætereunda est insula SOLOVVKI, Septentrionem versùs, inter Dvvinam & Corelam provincias, à continenti octo miliaribus in mari posita. Distare à Moscovia trecentis milliaribus, à Bieleieziero ducentis dicitur. Est etjam ibi dives piscium piscatio, qui Selgi indigitantur.

Solovvki insula.

PISCIUM in Moscovia copia haud mediocris. Ante alios ingentes & sapidissimos pisces, præsertim sturiones, Volga nobilissimus præbet: & ij quidem hyeme multâ inclusi glacie recentes pluribus diebus asservantur. Habent præterea pisces quosdam peculiares, quos ipsi suâ linguâ BELUGA vocant, miræ magnitudinis, sine spinis, capiteque, & ore amplo. Habet & aliorum piscium varietatem ferme incredibilem, & præsertim alborum pisciculorum saporis eximij. Ex hoc fluvio pisces in lacum & fluvium Bieleieziero pervenientes, tantò nobiliores, quantò diutius in eo fuerint, redduntur. In quibus agnoscendis ea est piscatorum peritia, ut pisces in Volgam reversos captosque, quanto tempore in eo fuerint, agnoscant. In Tanai optimorum piscium abunde satis est. OCCA piscium multitudinem, qui cæteris Moscoviæ fluminibus præferuntur, habet. Dvvina provincia omnis generis piscibus affluit, ex qvibus incolæ victum acquirunt. In insula Solovvki piscium Selgorum abundantia. In Tachnin fluvio pisces quidam nasci dicuntur, qui capite, oculis, naso, ore, manibus, pedibusque hominem referunt, sed absque ulla vocis expressione, qui, ut alij pisces, svave ex se præbent obsonium. Sunt & PALUDES crebræ vastæque, ex quibus fluvij non pauci oriuntur. Et quidem in silva, cui cognomen Volkovvskiles, palus est profunda, VVRONOVV dicta, ex qua fluvius non ita magnus duobus ferè miliaribus in lacum Volgo influit, Volgaque derivato à lacu nomine vocatur. Cis Mscenecum castrum dirutum, sunt paludes densæ, in quas incolæ periculo instante tanquam in castrum confugiunt.

Pisces.

Paludes.

CAPUT IIX.

De habitatione, vestitu, atque victu.

AEDES Moscorum ubivis truncis abiegnis contexuntur, inferiore trabe quodam alveo superjacentis rotunditatem ita excipiente, ut hac solâ admissurâ omnem propemodùm flatum excludant: solent tamen juncturæ muscari. Forma ædium quadrata est; fenestræque perangustæ, per quas impage translucidâ pelle obductâ lumen admittunt. Domorũ tecta tabulatis fiũt, arborũ corticib9 foris inductis: intus ad parietes lata habẽt scamna. Hæc passim pro accubitis, lectorũ enim usus vulgo ignotus. Ignis in hypocaustis seu

Habitandi ratio.

ſeu vaporariis manè ſtructus, totam domum pro modo tepidam ac calidã reddit. Veſtibula ædium quàmvis ampla & alta habeant, fores tamẽ humiles ſunt, ita ut ingreſſurus quiſpiam demittere ſe cogatur. In ſingulis verò habitationibus imagines Sanctorum pictas aut fuſas loco honorificentiore habent, haſque pro penatibus venerantur. Cùm autem alius ad alium viſit, ingreſſus habitationem, non ilicò domus dominum ſalutat, ſed protinus caput aperiens, ubi imago ſit, circumſpicit, quâ viſâ, ter ſe crucis ſigno munit, inquiens: DOMINE MISERERE. Pòſt ſalutat hoſpitem his verbis: Deus det ſanitatem. Mox porrectis manib. conſalutantes inter ſeſe deoſculãtur, capitibus more patrio frequentiùs inclinatis. Dein mutuò ſe intuentur, vter magis ſe incurvet: atque ita ter quaterq; caput alternatim inclinando de honore quodam modo concertant. Hoſpes tandem abiturus, rurſus ter ſe ſignat cruce, priora verba reverenter proferens, ſalute ultrò citroque datâ diſcedit. Si eſt alicujus dignationis vel autoritatis, eum tum hoſpes ad gradus usque ſequitur: ſin præſtantior, longiùs comitatur habitâ & obſervatâ cujusque dignitate.

Ceremoniæ in alterius domum ingredientium.

Veſtitus.

Veſtes omnes oblongas absque plicis ad talos demiſſas geſtant, præcipuè verò albi coloris. Pileos albos apicatos cruſtatosque ex lana coacta uſurpant, in quibus eſt nobilitatis inſigne, quò enim porrectiori ac elatiori vtuntur pileo, eò ſplendidiores vulgo habentur. Ocreis omnes ferè rubeis, ijsque brevioribus, ut qvæ genua non attingant, utuntur, quarum ſoleas in digitis paululũ erectas claviculis ferreis muniunt: indutia variis coloribus ſericeis circa collum exornata, apud nobiliores auro intertexta in uſu ſunt, eaq; monilibus gemmis, ſeu globulis argenteis aut cupreis deauratis conſtringunt. Cruces argenteas vel aureas gemmis diſtinctas præſtantiores, vulgus ferreas vel etjã cupreas pro ſacramento qvodam collo appenſas habẽt. Omnes autem & ſinguli ſuæ conditioni veſtibus convenientibus ex præſcripto mandatoque Principis utũtur, nam tenuioris fortunæ vulgarisque familiæ hominibus veſtes precioſiores elegantioresque gravi ſub pœna interdicuntur. Si autem aliquem obſcurioris familiæ eleganter veſtitum conſpiciunt, proditorem perfidumque eum appellant, ac ſuſpicionis ei notam jnurunt. Alius itaque habitus minorum gentium Nobilibus, alius magnatibus & conſiliariis, alius civibus & colonis præſcriptus eſt, ſecundùm uniuscujusque conditionem ac rei familiaris modum & amplitudinẽ.

Victus ratio.

Victus gentis præſertim opulentiorum utcunque lautus, non tamen opiparus, licèt omnia cibaria exiguo veneant precio. Majoris & minoris pecoris ma-

gna eſt copia, & occiſæ mediâ hyeme juvencæ, concretis gelu carnibus, duorum ferè menſium ſpacio nõ putreſcunt. Gallinæ etiam & anates ſingulis ſæpè argenteolis numis veneunt, obſonia nobiliora aucupio & venatione parantur, piſcium etiam optimorum ac ſapidisſimorum haud mediocris abundantia. Tenuioris fortunæ hominum victus ſatis parcus, etiam Nobilium pauperiorum, qui turpe non ducunt cortices ſeu putamina fructuũ, præſertim melonum, allij, ac cepârum abjecta humo tollere, ac devorare. Potus ipſorum communis cereviſia eſt, ex tritico, vel hordeo, atque lupulo cocta. Medo item ſeu mulſum ex melle aquato coctoq; conficitur. Quem potum utrumq; per æſtatem infrigidare, infusâ poculis glacie, voluptatis gratiâ conſueverũt, nam ingentia glaciei fruſta in cellis ſubterraneis Nobiliũ ſingulari ſtudio reconduntur. Sunt & qui in deliciis habeant ſuccum ex ſubauſteris ceraſis expreſſum, ſaporis gratisſimi. Vinis advectitijs in feſtis conviviis tantùm & ſacrificiis utuntur. Ante alia Creticum ſubdulce maximè in precio eſt, ſed in medicinæ uſũ duntaxat, vel principalis luxuriæ oſtentationem. Vini cremati etiam apud eos uſus frequens eſt, quod cùm ad frigus depellendum, tum ad ebrietatem ferè bibunt.

CAPUT

CAPUT IX.

De educatione, exercitiis, moribus, ac forma corporis.

JUventutis educatio ferè nulla, paucæ enim ibi ſcholæ, pauca gymnaſia, & in quibus Nobiliũ pueri lingvâ frequenter nativâ, vel maximè ſacris inſtituuntur. Pauci ſunt, qui lingvis operam dant peregrinis, præter Græcam, cui incũbunt ob Patrum monumẽta, omniumq; eorum gratiâ, quæ à Græcis derivata, ad eorum religionem, vel mores accommodari queunt. Pueri & adoleſcentes feſtis diebus in loco qvodam amplo, unde videri exaudirique à pluribus qveant, conveniunt. Quibusdam autem ſibilis, ceu ſigno dato convocantur, convocati ilicò concurrunt, manusq; conſerunt. Certamen pugnis ineunt, mox pedibus promiſcuè ac magno impetu faciem, guttur, pectus, ventrem, verenda contundunt: aut quacunque ratione posſunt, alios alij inter ſe de victoria concertantes proſternũt, adeò ut ſæpe inde exanimati aſportentur. Cæterùm quicunque plures vincit, diutius in arena durat, fortiterque verbera tolerat, is præ cæteris laudatur, victorque celebris habetur. Hoc verò certaminis genus ideò inſtitutum eſt, ut adoleſcentes verbera, & ictus quoſcunque perferre adſveſcant. Mores

Educatio

Certamina & luſus.

L 2 gentis

Mores. gentis tales sunt, ut illi Principem summè venerentur, fideliterque diligant: alioqui frigus, inediæ, atque omnis generis asperitatem, adversæq; fortunæ rigorem ferunt, imò ad mortem oppetendam etiam paratissimi sũt. Libido tamẽ ac lascivia in eis vituperatur maxima, propter quam impuberes quoque matrimonia contrahentes, nihilominùs tamen pæderastian exercent. Non aperti, non ingenui, non simplices, sed versuti potiùs, astuti, & fallaces. Ad iram tardi, in paupertate superbi. Faciles atque tractabiles, si asperè tractentur, vel etiam verberibus accipiantur, gratiæ & amoris signũ haud vulgaris habentes, idque non solùm apud inferioris conditionis homines fit, sed etiam primariæ notæ Nobiles atque Consiliarios. Principi suo ac magistratibus obediunt, etiam in iis causis, quæ vel vitæ detrimentum periculumque adferre videntur. Staturâ sunt mediocri, at quadratâ & torosâ, brachiis lacertisque plurimùm valentes, totoque corpore adeò robusti, ut cum ursis absque ullo armorum genere, solis viribus confisi, sæpius congredi ausint, ursumque per aures arreptum tam diu fatigant, donec prorsus lassum prosternant. Color corporis candidus, capillus flavus, vel magis albicans, oculi cæsij, barba prolixa, crura brevia, ac ventres extenti.

Forma corporis

CAPUT

CAPUT X.

De peregrinatione atq; conviviis.

PEregrinationes in loca extera suscipere nullas solent, nisi quos Princeps in legationem mittit, quibus tamen custodes apponuntur: quorum est præstò adesse semper, & ne legati quid liberiùs cum externis colloquantur, aut commercia agitent, observare. Proinde non satis probè perspectis aut cognitis cultiorum hominum moribus, ipsi in sua barbarie, & innatâ illâ ac servili simplicitate permanent, nec animum ad ingeniorum culturam adhibent, neque ad libertatis aliquam cupiditatem adspirant, sed præsenti statu servitureque delectantur. Quam etiam alia confirmant, ut amor consanguineorum aut propinquorum, ac metus, ne illis à Principe adversi qvid eveniat. Nam si qvos officiis præficit, ut exercitibus, præsidiis, præfecturis, obsidum loco conjuges, liberos, cognatos eorum, & quæcunque illis novit esse charissima, penès se semper retinet: in quos dein omnia exquisitorum suppliciorum edit exempla, si quid illi deliquerint, aut nonnunqvã per imprudentiam malè, nec ad ejus voluntatem rem gesserint, aut si qui ab eo desciverint.

Peregrinatio.

Convivia rariùs celebrant, præsertim vulgus, inebriari enim ipsis sub pœna prohibitum est, exceptis

Cõvivia.

 certis

certis in anno diebus, utputa Natalitiis, Paschatos, Pentecostes, & alijs quibusdã divorum festis solennibus, quibus potare illis licet. Nobilibus & Consiliariis concessum est mulsum cerevisiamque bibere, qvi commessationibus nonnũquam solidum comburunt diem. In compotationibus alter alteri præbibens, primò salutem Principi, omnia fausta & felicia (nomine proprio eum appellans, titulosque regionum enumerans) exoptat, idem ante & post prandium omnes ac singuli precantur.

CAPUT XI.

De Nobilibus, servis, colonis, & operariis.

Nobiles in Moscovia quales.

NObiles cùm aliis insignibus â plebe distinguũtur, tum quòd patris nomen titulis aliis ad exemplum Principis soli præscribant. Magnificum hoc apud illos, eoque ad æquales aut inferiores solùm utuntur. Ad Principem non modò patris nomine usurpando abstinent, sed ne suum qvidem, nisi propriâ linguæ ejus enunciatione quodammodo corruptum, quo non solùm servos ejus, sed quasi homunciones, non homines cum illo comparatos, se significent, apponunt. Cæterùm hæc gens servitute magis, quàm libertate gaudet: omnes enim passim magnates, nobiles, præfe-

Eorum servitus.

cti, & consiliarij gravissimâ à Principe premuntur servitute, seque vilissimos ejus servos fatentur, ac bona omnia mobilia atq; immobilia, quæ possident, nõ sua, sed Principis esse dicũt. Quamùis autẽ omnes juxta durã serviant servitutẽ, superbi tamẽ sunt in hac servitute ac paupertate sua, adeò vt ignotis ac pauperioribus etjam ad minorũ gentium Nobiles difficilis sit aditus, qui vel eo nomine in publicum minùs sæpe prodeunt, quò majorem autoritatem suique observantiam retineant. Nullus præterea Nobilis, qui paulò conditionis lautioris est, ad quartam vel quintam domum pedes progreditur, nisi equus subsequatur. Hyemis tempore, cùm equis soleis carentibus propter glaciem absque periculo uti non possint: aut quando regiam, aut divorum templa fortè ingrediuntur, tum eqvos domi relinquunt. Ac licèt Nobilis pauper fuerit, ignominiosum tamen putat laborare. Hoc tamen laudabile inprimis in hac gente, qvòd Principi suo sint obsequentissimi. Quando enim aliquem magni nominis virum ad bellũ proficisci jubet, mandatum illi literis consignatum mittit. Si autem vel prandens, vel cœnans, vel dormiens offensus à tabellione Principis, literas, quibus in militiam ire jubetur, acceperit, continuò à mensa lectove surgens, equum ipso inspiciente

ciente armatus aſcendit, mandatumque Principis ſe executurum oſtendit. Atque ſic omnes, qvi per rei familiaris facultates poſſunt, propriis militant ſumptib.

Servi.

Servi Magnatibus ac Nobilibus majori ex parte empti aut capti ſunt, qvos autem liberos in ſervitio nutriunt, ijs non eſt integrum qvolibet tempore diſcedere. Si aliquis contra Domini ſui voluntatem abit, nemo eum famulitio dignatur: ſin dominus bonum ac commodum famulum non benè habet, qvodammodo apud alios eo nomine malè audit, neque poſthac alios famulos facilè nanciſci poteſt. Morituri verò utplurimùm certos ſervos manu mittunt: qvi ſe tamen continuò aliis dominis, pecuniâ acceptâ, in ſervitutem vendicant. Si pater filium, ut mos eſt, vendit, & is qvocunque tandem modo liber factus, aut emancipatus fuerit, pater hunc rurſus atque iterum jure patriæ poteſtatis vendere poteſt. Poſt quartam autem venditionẽ nil juris ampliùs in filium habet. Ultimâ pœnâ ſolus Princeps ſervos atque alios afficere poteſt.

Ius patris in filium.

Coloni. in hebdomada

Colonorum etiam ſive agreſtium fortuna atque conditio haud melior eſt, illis enim [redacted] dies privato labori concedi[redacted]. Habent aliqvot privatos, & à dominis ſuis attributos agros prataq., ex qvibus vivunt: reliqua omnia ſunt dominorum. Sunt præterea iniqvioris conditionis, qvòd illorum bona prædæ Nobilium

lium

lium atque militum expoſita ſunt: à quibus etiam per ignominiam Chriſtiani, aut nigri homunciones vocantur. Conductitio qvi vivunt labore, & operam vẽdunt ſuam, mercedem unius diei referunt dengam cũ dimidia: opifex duas. Eſt autem Denga numus unius groſſi Polonici æſtimatione. Neque hi ſtrenuè laborant, niſi benè baculati. Credunt enim, ſe Dominis ſuis diſplicere, ſignumq; eſſe indignationis, ſi non plagis excipiantur.

Operarii

CAPUT XII.

De Moſcorum religione.

Religio.

Religionem Chriſtianam à ſancto Andrea Apoſtolo Moſcos accepiſſe annales ipſorum loquũtur, quem ex Græcia per Pontum Euxinum ad Boryſthenis oſtia appuliſſe, enavigatisque Ponti Euxini undis Kioviam perveniſſe, ac genti numinis colendi rationẽ primùm oſtendiſſe: ex Kiovia tandem ad Boryſthenis fontes deveniſſe, indeque per Oceanum Romam navigando rediiſſe ferunt. Hanc itaque ſe in hunc usque diem ſequi gloriantur. De qua nonnulla ſtrictim dicẽda: ac primùm de Miſſa, cujus ſacrificium more Græcorum pane fermentato, & non azymo peragunt: calici item tantum aquæ, quantum vini rubei miſcent, quam etiam aquam eſſe volunt calidam, quòd ex latere

Miſſa.

re

re Servatoris noſtri non ſinè myſterio profluxerit ſan-
guis & aqua, quam fuiſſe calidam credere pium exiſti-
mant, alioquin enim miraculū vix cenſeri poſſe. Com-
municant autem ſub utraq; ſpecie, miſcentes panē vi-
Communio. no, ſeu corpus ſanguine, ſumitque ſacerdos cochleari
ex calice portiunculā, porrigitq; communicantu. Por-
ro quotiescunq; aliquis in anno voluerit, modo con-
feſſus fuerit, corpus Domini ſumere poteſt, alioqui tē-
pus ad Paſchatis conſtitutum habent. Pueris ſeptem
annorum adminiſtrant ſacramentum, eam enim
ætatem ut aptam ad diſcernendū inter bonum & ma-
lum rectum & pravum, lepram & non lepram: ſic ad
peccandū facile pronā eſſe autumant. Si puer infirmus
fuerit aut fortè animā agere cœperit, ut de pane ſumere
non queat, infunditur ei gutta vini conſecrati ex calice:
Sacramentum ad communicandum, nō niſi dum ſa-
crum fit, pro infirmis autē die Iovis in majori hebdo-
mada conſecratur, ac per integrum ſervatur annū. Ve-
rùm quū fuerit neceſſe, accipitur inde portiúcula, quæ
vino intingitur, ac benè humectata præbetur ægroto,
dein aquæ tepidæ modicum additur. Baptiſmi ſacra-
Baptiſmus. mento hunc in modū utuntur: Nato infante, mox ac-
cerſitus ſacerdos ante habitationis januā, in qua puer-
pera eſt, certas ſtando recitat orationes, infantiq; nomē
imponit. Pòſt quadrageſimo communiter die, ſi fortè
infans malè habeat, defertur in templū, ac ſacro fonte

abluitur, terq; in aquam totus immergitur: alioquin
baptiſatum non crederent. Mox inungitur chriſmate
hebdomadà magna initiato, tandē & myrrhà. Aqua
verò baptismatis ſingulis ſacratur infantib9, ac conti-
nuò poſt baptismū extra templi portā effunditur. Sem-
per verò infantes in templo baptiſantur, niſi lōginqui-
tas loci nimia, aut frigus infanti obſit, neque unquam
aquâ tepidâ, niſi pro infirmis utuntur. Sal, nec ſaliva cū
pulvere mixta ab illis adhibentur. Suſceptores ſive ba-
ptiſmi teſtes ex parentū voluntate aſſumuntur, ac quo-
ties circa baptiſmum, præeunte certis verbis ſacerdote,
Diabolo renunciant, toties in terrā expuunt. Sacerdos
etiā infanti capillos abſcindit, eosq; ceræ intricatos in
templo certo deponit loco. Confirmationē baptiſmi Confirmatio baptiſmi.
vanā eſſe putant, eo quòd in omnib9 ſynodis, præcipuè
verò Nicenâ, dictum eſt, confiteor unum baptiſma in
remiſſionē peccatorum. Quum verò unum ſit bapti-
ſma, unum etiam chriſma eſſe, eandemque virtutem
ſacerdotis ac Epiſcopi circa ſacramenta diſtribuenda
aſſerunt. Confeſſionem quamvìs ex conſtitutione Confeſſio.
habeant, vulgus tamen eam Principum opus eſſe,
ac præcipuè ad magnates atque nobiles pertinere exi-
ſtimat. Confitentur circa tempus Paſchale magna
cum cordis contritione: quibus pœnitentia juxta de-
licti quantitatem qualitatemve irrogatur, aliis je-

 junia

jejunia, nonnullis breves precationes quædam injunguntur (Dominicam enim orationem pauci norunt, pauciores ſymbolum Apoſtolicum, paucisſimi decalogum, namq; rem tam arcanam ac ſacram in vulgus enunciari non oportere, decalogum autem Chriſti ſangvine antiquatum eſſe tradunt). Quosdam, qui gravius aliquid patrârint, ſacrâ abluunt aquâ, quam Epiphaniorum die ex profluente hauriunt, eam integrum per annum conſecratam in templo pro peccatis gravioribus abluendis aſſervant. Peccatum inſuper die Sabbathi commiſſum levius ducunt, minusque pœnitentiæ pro eo imponunt. Sunt complures & leviſſimæ cauſæ, ob quas in templum nô admittuntur, ſolent tamen excluſi plerunque portis ac feneſtris templi adſtare, atque inde non minùs videre audireque ſacra, ac ſi in templo fuiſſent. Purgatorium omnino negant, dicunt enim, vnicuiq; vitâ functo ſecundùm meritum ſuum locum eſſe, piis quidem lucidum, & amœnum cum angelis placidis: impiis autem obſcurum, cæcaque caligine obductum, cum angelis terribilibus deſtinatum eſſe, in quo extremum expectant judicium: quo quidem nil clarius, nil illuſtrius, nil probis hominibus optatius, nil improbis horribilius futurum opinantur. In articulo de Spiritu ſancto, tertiâ Divinitatis perſona, à noſtris Eccleſiis ſic diſſentiunt,

Purgatorium.

Extremũ judicium

De Spiritu S.

unt, ut eum à ſolo patre per filium procedere, perinde atque Græci, aſſerant. Feſtos dies viri præſtantiores ſacris peractis cultu corporis, epulis, atque ebrietate colunt. Vulgus plerumque laborat, feriari enim, & à labore abſtinere dominorum eſſe præ ſe ferunt. Cives & mechanici ſacris interſunt, quibus finitis, ad laborẽ redeunt, ſanctius putantes, labori incumbere, quàm bibendo, ludendo, ac id generis rebus aliis ſubſtantiam atque tempus inaniter perdere. Feſtum S. Trinitatis celebrant Pentecoſtes feriâ ſecundâ, octavâ verò feſtum omnium Sanctorum. Feſta quoque beatæ Virginis jejuniis indictis, orationibus, miſſis tum lectis, tum decantatis, communi Eccleſiæ Græcorũ ritu, colunt. Ex ſanctis Nicolaum inprimis venerantur, templaq; præcipua nomini ejus dicata erigunt, ac de ejus miraculis plurimùm quotidie prædicant. Divæ etiam Virginis magna apud illos reverentia eſt, crebris quidem orationibus veluti Chriſti mater pro interceſſione apud filium rogatur. Habent & in catalogo certos quosdã Pontifices Romanos, quos inter Sanctos referunt. Cæteros verò, qui poſt eorum ſchisma fuerunt, execrantur, tanquam eos, qui ab Apoſtolorum, Patrũ, ac ſeptem conciliorum ordinationibus defecerunt, ac tanquam hæreticos & ſchismaticos nuncupant. Perſuaſum enim habent, ſeptimo generali concilio, quod

Feſta.

Sancti.

sub Adriano Pontifice celebratum est, decisum esse, ut ea, quæ in præcedentibus constituta atque determinata erant synodis, in posterum quoq; firma, rata, ac perpetua tenerentur: nec unquam posthac cuiquam licere aliud concilium aut indicere, ant accedere, sub anathematis pœna. Signo crucis quoties se signãt, id manu dextrâ sic faciũt, ut frontẽ primũ, dein pectus, mox dextram, ac demum sinistrã pectoris partem punctim in crucis formã tangant. Quòd si quis aliter manũ ducat, eum nõ pro domestico fidei, sed pro alieno habent.

Ieiunia

Jejunia illis solemnia singulis annis quaterna sunt. Primum in quadragesima septem totis septimanis: quarum primâ lacticiniis vivunt, quam serna sive maslna appellant, hoc est, butyraceã sive caseaceam. Sequentibus verò septimanis omnes præter peregrinantes, etiã piscibus âbstinẽt, oleribꝰ, cauliculis, raphano, fungisq; contenti. Sunt qui diebus Dominicis ac Sabbatho cibum sumunt, reliquis diebus, nisi frustulo panis in meridie refecti, ab omni cibo abstinent. Reperiuntur etiã nonnulli, qui diebus Lunæ, Mercurij, ac Veneris panis frusto cum aqua sumpto acquiescunt. Reliqua per annum jejunia non adeò exactè tenent. Jejunant autem post octavam Pentecostes, usq; ad ferias Petri & Pauli Apostolorum, diciturque jejunium D. Petri. Deinde habent jejunium D. Mariæ Virginis à calendis Augu-

Butyracea seu caseacea.

Augusti usque ad assumptionem ejus, quam decimusquintus calendarij adscriptam habet. Denique jejunium Philippi, quod initium ejus jejunij contingat festum Philippi, juxta eorum fastos. Quòd si festum Petri & Pauli, Assumptionis item D. Virginis inciderit in Mercurij aut Veneris diem, tum nec eâ die carnibus vescuntur. Si verò in majori quadragesimæ jejunio aliquis solennis dies inciderit, eo piscibus victitant. Cæterùm monachis multò graviora jejunia sũt, quos potu acido, & aquâ fermento mixtâ contentos esse oportet. Sacerdotibus quoq; aqua mulsa ac cerevisia eo tẽpore sunt prohibita, licèt nunc omnes leges statutaque varientur. Porrò extra jejunii tempus die Sabbathi carnes edunt, Mercurii verò ijs abstinẽt. Jejũnãtes verò ad solis occasum usque nec edere quicquam, nec bibere consueverunt. Sequentibus tamen diebus crapulâ atq; ingurgitatione abstinentiam benè compensant. Decimæ nõ, ut alibi mos est, propter sacerdotes, sed propter pauperes, pupillos, infirmos senes, advenas, captivos, atque pauperes sepeliendos institutæ sunt à Volodimiro Principe de omnibus rebus dandæ, iuvandos etiam eos, qui numerosam habent sobolẽ, qvibusvè bona igni absumta sunt; ad sublevandam deniq; miserorum omnium inopiam, monasteriorum, pauperumq; ecclesias, & inprimis propter defunctorum ac vivorum refrigerium.

CAPUT

CAPUT XIII.

De personis ecclesiasticis.

Metropolita.

Quantum ad personas ecclesiasticas, unus erat olim totius Russiæ Metropolita, tàm Moscorum, quàm Litvanornm Ducibus tributarius, cujus primùm Kioviæ, dein Volodimiriæ domicilium erat, tandemque sedes in Moscoviæ metropolin translata est. Pòst quū Metropolitæ septimo quoque anno Russiam Litvanis subjectam inviserent, exactisque inde numis redirent, Vitoldus M. Litvaniæ Dux hoc; ne videlicet provinciæ suæ argento expilarentur, ferre noluit. Convocatis itaque Episcopis, proprium constituit metropolitam, cui sedes Vilnæ addicta erat. Cæterùm omnes Russorum Metropolitæ suam à Patriarcha Constantinopolitano habent autoritatem. Eligebatur autem primò omnium Metropolita, convocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac Prioribus sive præfectis monasteriorū. Inquirebatur vir sanctioris vitæ per monasteria atque eremos, eligebaturque. Posthæc Principes ad se certos convocare, ex eorumque numero unum suo judicio deligere solebant. Sunt & duo Archiepiscopi, Novogrodensis & Rostoviensis. Episcopi sunt: Tuerensis, Resanensis, Smolenscensis, Plescoviensis, Permiæ, Susdaliæ, Columnæ, Czernihoviæ.

Archiepiscopi.

Episcopi

viæ. Hi quidem omnes Metropolitæ Moscovitico subjecti sunt. Habent autem Episcopi proventus ex prædiis certos, & aliis extraordinariis, vt vocant, accidentibus. Abbates tantùm duo sunt Priores verò monasteriorum plurimi, qui omnes arbitrio ipsius Principis, cui nemo resistere audet, eliguntur. Sacerdotes, quos seculares vocant, utplurimùm consecrantur hi, qui diu apud ecclesias serviêrunt. In diaconum autem nemo consecratur, nisi coniugatus, unde plerunq; & matrimonio copulantur, & in diaconatum simul ordinantur. Uxore defunctâ, sacerdos à sacris suspenditur, nisi monasterium ingressus juxta regulam vivat: officiis etiam atque aliis rebus divinis cum cæteris Ecclesiæ ministris choro, tanquam minister, interesse potest. Si sacerdos viduus ad nuptias secundas, quod cuique liberum est, transierit, is nil habet cum clero commune. Nullus sacerdotum monachorumve suas horas canonicas recitat, nisi habeat imaginem alicujus divi præsentem: quam etiam nemo nisi veneranter attingit. Qui verò eam in publicum profert, manu in altum tollit, quam omnes prætereuntes, cruceq; se se signantes, inclinando plurimùm venerantur. Nullus item eorum aut sacra obire, aut baptisare, aut alio quovis fungi munere audet, nisi diacono præsente. Omnes sacerdotes in ecclesiis primum tenent locum,

Abbates. Priores.

Sacerdotes.

& sustentantur plerunque ex contributione quadam certa, assignanturque illis domunculæ cum agris & pratis, unde victum suis aut famulorum manibus acquirunt. Oblationes tenues habent: aliquando ecclesiæ pecunia datur ad usuram, eamq; sacerdoti pendunt, ne suis illum alere sumptibus teneantur. Sunt etiam, qui Principum liberalitate vivunt. Paucæ parochiæ reperiuntur, prædiis ac possessionibus dotatæ, exceptis Episcopatibus, ac qvibusdam monasteriis. Nulla parochia seu sacerdotium confertur cuipiam, nisi sacerdoti. Cæterùm in singulis templis unicum tantùm altare, & in dies singulos unicum quoque sacrum faciendum putant. Rarissimè templum reperitur sine sacerdote, qui ter in hebdomada tantùm sacra peragere obstringitur. Habitu haud dissimili à secularibus utuntur, extra pileum parvum ac rotundum, quo rasuram tegunt, pileum amplum contra calorem atque imbrem superimponunt, aut pileo oblongo ex castorum pilis colore griseo teguntur. Comam ad brachia protensam omnes nutriunt. Baculos, quibus innituntur, cum manubriis incurvatis gestant. Monasteriis præsunt Abbates & Priores, qui leges ac regulas severissimas habent, carnibus perpetuò abstinentes. Sunt non pauci, qui ex monasteriis in eremum se abdunt, ibique tuguriola erigunt, quæ aut soli, aut cum sociis incolunt, victum ex terra & plantis

Habitus sacerdotum.

Abbatum & Priorum regulæ.

quærentes. Metropolita, Archiepiscopi, atque Episcopi, qvàmvis ipsi carnes nunqvam edant, tamen qvum hospites conditionis civilis invitant, eo tempore, qvo carnibus vesci fas est, hanc habent prærogativam, ut carnes illis in convivio apponant, qvod Abbatibus & Prioribus vetitum est. Qvoties alicujus monasterii antistes fato concedit, Princeps bona cœnobii invadit, armenta, greges, supellectilem, aurum, argentum rapit: aut is, qui demortuo antistiti succedit, hæc à Principe pecuniâ redimit. Episcopi, qvos illi Uladicas vocitant, circa res divinas saltem, ac ipsam religionem promovendam sunt occupati: rem verò familiarē, aliaq; negotia publica officialibus administranda committunt. Horum vestes qvotidianæ sunt, ut & aliorum monachorum, nisi quòd aliquando sericeas habeant, & præsertim pallium nigrum, quod habet à pectore in utramq; partē tres fimbrias albas, inflexas instar rivuli fluentis, quibus ex corde ac ore illorū rivulos veræ fidei & bonorū exemplorum fluere innuunt. Pro insignibus tanti hujus muneris baculis in modum crucis, Posoch dictis, utuntur. Episcopus Novogrodensis album gestat pallium. Mitris rotundis ac nigris insigniuntur Archiepiscopi atque Abbates, præter Episcopum Novogrodensem, qui albā bicornem fert. Doctores, quos seqvuntur, sunt: Basilius Magnus, Gre-

Episcoporum munus.

Vestes.

Doctores Ecclesiæ.

Gregorius Nazianzenus, & Joannes Chryſoſtomus, quem illi Zlatouſty, hoc eſt, aureum os habentem appellant. Gregorii etiam Pontificis Rom. libros de moralibus ſcriptos habent. Hi omnes ut & ſacer codex in lingvam Slavonicam tralati ſunt, religioſeque cuſtodiuntur. Libros Evangelii non niſi in locis honeſtis, tanquam rem ſacram reponunt, neq; manibus tangunt, niſi prius cruce ſe munierint, & capite nudato inclinatoq; honorem iis exhibuerint. Poſt ſumma cum veneratione in manus ſumunt. Concionatoribus deſtituuntur, ſufficere enim putant, ſacris interfuiſſe, ac Evangelii, Epiſtolarum, aliorumque Doctorum verba, quæ linguâ vernaculâ recitat ſacrificus, audiiſſe: ad hoc, quòd varias opiniones ac hæreſes, quæ ex concionibus plerunque oriuntur, ſeſe effugere credunt, feſtos dies proximæ ſeptimanæ die Dominico annunciant, publicamque confeſſionem recitant. Principem porrò ipſum quicquid credere & opinari videt, id rectum, omnibusque ſequendum ſtatuunt. Monachis præſertim ordinis S Benedicti per omnem vitam eſus carnium interdictus eſt. Alimenta illis ſunt ſalſamenta atque lacticinia. Nec ex religionis inſtituto recentes piſces edunt, quaternis tamen illis jejuniis ne piſcibus quidem victitant, caulibus ac cucumeribus ſale conditis illis victus conſtat: potus his pertenuis

Concionatores.

Monachi Benedict.

ac

ac dilutus, quotidie in templis divinam rem faciunt. Sacrum officium antelucano adeunt tempore, quod albeſcente die finitur Circa nonam diei celebratur Miſſa. Poſt hanc prandetur, à prandio ſacrum officium repetitur: nec non à cœna. Prandentibus cœnantibusve legitur Evangeliorum interpretatio. Monachi verò Eremitani, quorum potiſſima cura eſt in convertendis ad religionem Chriſtianam hominibus, bonam jam olim barbarorum partem, diu multùmque apud illos verbum Dei ſeminantes, ad Chriſtianiſmum pertraxerunt. Proficiſcuntur etiamnum ad varias regiones Septentrionem atq; Orientem verſus, quò maximis laboribus, ac vitæ periculo perveniunt, nil inde commodi ſperantes, at hoc unicum ſpectantes, ut animas multorum devio errore abductas in viam revocare rectam, ac Chriſto eas lucrifacere queant. Jurisdictioni Eccleſiaſticæ ſubiacent omnes Abbates, presbyteri, diaconi, ac univerſus clericorum ſtatus: uxores item, filiique ſacerdotum, medici, viduæ, obſtetrices, & ii, qui miraculum ab aliquo Sanctorum acceperunt, quive emancipati ſunt pro alicujus animæ ſalute: miniſtri deniq; ſinguli monaſteriorum ac noſocomiorũ. Quicquid itaq; inter prædictas perſonas ſimultatis ſeu diſcordiæ exoritur, Epiſcopus ipſe tanquam competens judex decernit ac dijudicat.

Monachi Eremitæ

Si

Si verò inter laicos & hos aliquid controversiarum existit, judicio communi decernitur. Quicunque autem sacerdotum contra religionem aut officium sacerdotale quavis ratione fecerit, judicio ecclesiastico subjicitur. Si verò furti aut ebrietatis accusatur, aut in aliud id genus vitii inciderit, à civili punitur magistratu. Si sacerdos queritur coram judice politico, se à quopiam læsum esse (offensiones enim omnes atque injuriæ ad forum civile spectant) tum judex, si fortè cognoverit, hunc ab illo lacessitum, aut quavis injuriâ priùs affectum fuisse, sacerdotem punit. Episcoporum etiam est divortia tam inter Duces & proceres, quàm nobiles atque cæteram multitudinem, qui concubinas alunt, constituere. Ad Episcopalem item jurisdictionem pertinet, si qvando uxor marito non obsequatur, si qvispiam in adulterio seu fornicatione deprehensus fuerit, si uxorem consangvineam duxerit, si conjunx conjugi qvippiam mali machinetur: divinationes item, incantationes, venena, contentiones, propter hæresin vel fornicationem susceptas: aut si filius parentes sororesve acerbiùs increpuerit læseritve: prætererea venere utentes præposterâ, sacrilegos, mortuorum spoliatores, & qui ad incantandum de imaginibus Sanctorum, aut statua crucis quicquam avulserint: qui canem, avem, aut aliud aliquod

aliquod animal immundum in ædem induxerint, aut comederint, punire.

CAPUT XIV.

De ædibus sacris, earumque supellectile.

AEdes sacræ ligneis trabibus contexuntur, ac plerunq; è media æde assurgit turris scandulis tecta. Foris adduntur ædi porticus. In coemeteriis fabricas ædificant ligneas, in quibus librantur campanæ, nunc singulæ, nunc binæ, nunc ternæ. Organorum pneumaticorum, sive mavis Pipinianorum (quæ Pipino primùm à Constantino Græcorum Imperatore missa feruntur) nullus in ecclesiis illorum usus est. Simulachra divorum in templis non admittunt: tabulas tamen eorum imaginibus pictas in sacris ædibus frequentes habent; his dona offerunt, his cereos accendunt: has etiam sacro fonte aspergunt, quibus alioqui nullus est honos. In ædibus privatis statuas instar penatium colunt. Cœnobiorum non exiguus est numerus, præsertim ordinis S. Benedicti, quibus magni agrorum sunt reditus, quippe tertiam fundorum partem totius Moscoviæ tenent Monachi. Haud longè à Moscoviæ metropoli abest monasteriũ S. Trinitatis amplissimum, ubi trecenti monachi perpetuò ferè sub regula Basilii Magni vivere perhibentur. In

Aedes sacræ.

Organa.

Cœnobia.

In quo etiam Sergii Abbatis ſepulcrum multis miraculis clarum eſt. Eò Principes ipſi ſæpe, vulgus verò quotannis certo confluit tempore, monaſteriique liberalitate alitur. Fertur inibi olla cuprea eſſe, in qua certi cibi, & utplurimùm olus coquitur, ac, ſive pauci, ſive multi eò venerint, ſemper tamen cibi tantum remanere, quo ejus monaſterii familia ſaturetur: adeò, ut nil unquam deſiat, aut ſuperfluat. Coemeteria pro ſepeliendis corporibus nullis ceremoniis dedicãt, ajunt enim, corporibus unctis terram ipſam, & non corpora terrà conſecrari. Sepulturæ eorum non in templis, ſed opulentiorum quidem in ſeptis, ac exterioribus templorum veſtibulis fiunt: agreſtium verò in agris & ſilvis, ubi tumulos aggeſtis lapidibus muniunt, ſignumque crucis ſuperimponunt. Quibus pòſt Eccleſiæ Romanæ ritibus quadraginta diebus parentatur. Non ſubticenda hîc ridicula gentis conſuetudo: defunctorum cadavera loculis condunt, ac manui cadaveris codicillos indunt, quorum ſumma eſt: defunctum fuiſſe Ruſſum, Ruſſorum fidem amplexum, ac in eadem deceſſiſſe. Hæ literæ D. Petro mittuntur, quibus mox (ut ajunt) admittitur, & ut ſincerioris fidei ſectatori beatior quoq; ſedes, qvàm Latinis Chriſtianis conceditur: alios enim ſemichriſtianos, ſe verò ſinceros & genuinos eſſe contendunt.

CAPUT XV.

De ratione contrahendi matrimonii, ac de divortiis.

MAtrimonii inter ſeſe contrahendi ratio ejusmodi obſervatur. Turpe & quaſi inhoneſtum habetur adoleſcenti, ambire puellam, quò ſibi in matrimonium locetur. Patris eſt juvenem alloqui, ut ducat filiam ſuam. His autem plerunque verbis adoleſcentem compellat. cùm mihi ſit filia, vellem equidem te mihi generum. Ad quæ juvenis: ſi me, inquit, generum expetis, ac tibi ita videtur, conveniam parentes meos, & de hac re ad eos referam. Dein ſi parentes ac propinqui aſſenſi fuerint, conveniunt, ac de his, quæ pater filiæ dotis nomine dare velit, tractant. Mox dote conſtitutà nuptiis dies præſcribitur. Interea Sponſus à Sponſæ ædibus uſque adeò arcetur, ut ſi fortè poſtulâ rit ſaltem eam videre, parentes ſponſæ reſpondeant: cognoſce ex aliis, qvalis ſit, qvi eam nôrunt. Certè niſi ſponſalia priùs maximis pœnis firmata fuerint, ita, ut ſponſus non poſſit, etiam ſi vellet, ſine gravi pœna eam repudiare: aliàs non datur illi acceſſus ad ſponſam. Sunt autem dotalia dona plerunque equi, veſtis, framea, pecora, ſervi, & ſimilia. Invitati ad nuptias pecuniam raró offerunt: munera tamen ſeu donaria

Matrimonii ratio.

ſponſæ mittunt, quæ ſingula ſponſus diligenter nota-ta reponit. Finitis nuptiis, depromta rurſus ordine conſpicit; atque ex iis, ſi quæ allubeſcant, & ſibi uſui futura videntur, ea mittit ad forum, jubetque ſingula ab his, qui rebus precia imponunt, æſtimari: reliqva omnia ac ſingula ſingulis remittit cum gratiarũ actione. Ea, quæ ſervavit in anni ſpacio, juxta æſtimationem pecuniâ aut altâ re ejusdem valoris compenſat. Tota enim hæc munerum mittendorum ratio ad juvandam rem familiarem novorum conjugum introducta eſt. Porrò ſi aliquis donum ſuum pluris fecerit, tum ſponſus ad juratos æſtimatores continuò recurrit, illumq; horum æſtimationi ſtandum eſſe cogit. Quòd ſi ſponſus poſt annum elapſum non ſatisfecerit, aut munus acceptum non reſtituerit, tum in duplum tenetur. Denique, ſi alicujus donum juratis æſtimandum dare neglexerit, ex voluntate atque arbitrio ejus, qui dedit, refundere obſtringitur. Atque hunc morem vulgus ipſum in omni liberalitate ſeu donationis genere uſurpare ſvevit.

Ritus in templo ſponſales.

Ritus ſponſales in templo publicè hi obiri ſolent. Menſa inprimis in medio templi adornatur, ingredientibusque templum ſacerdos præcedens certas recitat orationes, dein pro Patriarcha, Metropolita, Epiſcopis, ac toto clero, proq; Principe ſuo, & omni ordine

ordine tam equeſtri, quàm plebejo, qvi ritus ſuæ fidei ſeqvuntur, ſigillatim ſacerdos cum diacono clarâ voce precantur. His transactis, ſponſus & ſponſa menſam præparatam accedunt, in linteoque ſecundùm conſvetudinem pedibus ſubſtrato uterque ſtat. Poſtea ſacerdos ex præſcripto, an alicui olim non ſpoponderint, interrogat, ſtolâque manus utriusque annulos cõmutans colligat. Deinde coronas ligneas, vel ex tiliæ libro pictas, ad id muneris in eccleſia reſervatas, capiti utriusque imponit, dicens: *poſuiſti Domine coronam ſuper caput ejus de lapide precioſo*, &c. Evangeliumque de nuptiis Canæ Galileæ celebratis recitat. Dehinc panem & cereviſiam conſecratam deſponſatis ad prægustandum porrigit, poſtea ſtolam (quâ ſacerdotes collo appenſâ utuntur) ſponſus & ſponſa ab una, & ſacerdos ab altera parte tenent, ſacerdotemque præeuntem ſeqvuntur, hæc verba dicentem: *circuite populi Sion, ac date gloriam nomini Dei altisſimi*, terq; menſâ circumeuntes loca ſua occupãt, & ſacerdos pſalmũ qvinqvageſimum primum recitat. Qvo abſoluto, è templo egrediuntur. Cæterùm matrimoniũ ita contrahitur, ut qvartũ conſangvinitatis aut affinitatis gradum non attingant. Hæreticum putant, germanos fratres germanas ducere ſorores. Nemo etiã affinis ſui ſororem in uxorẽ ducere audet. Severisſimè

 obſer-

observant, ne hi matrimonio implicentur, inter qvos spiritualis baptismatis cognatio intercedit. Si quis alteram ducit uxorem, fitq; bigamus, conceditur id quidem, sed vix legitimum matrimonium esse putatur. Tertiam uxorem ducere sine gravi causâ non licet. Quartam verò nec permittunt cuipiam, nec etiam Christianum esse judicant.

Divortia Divortium admittunt, dantque libellum repudii: id tamen maximè celant, quod contra religionem, ac statuta esse nôrunt. Pro adulterio non censent, si uxoratus cum soluta libidinatus fuerit, uxore alterius exceptâ. Tepidus utplurimùm conjugatorum amor, præsertim principum ac nobilium virorum, eò quòd puellas nunquam antè visas ducunt, ac servitiis Principis occupati, eas deserunt, alienâ interim turpique libidine sese polluentes. Divortia inter se frequenter vulgant, Episcopis indulgentibus, literasque repudii communicantibus. Olim etiam agrestes, qvibus ad Episcopos propter longam itineris distantiam aditus difficilis erat, divortium (more gentili antiqvitus observato) sic peragebant: cùm inter virum atq; uxorem lites exortæ essent, extra pagum in trivium ambo prodire solebant, mantili accepto, qvod inter se manibus utrinque tenendo per medium discindebant, hocq; inter se diviso, matrimonium etiam divisum esse arbitrabantur.

frequentia.

CAPVT

CAPUT XVI.

De mulierum Moscoviticarum conditione.

Mulierum conditio. MUlierum conditio misera est, non enim eo sunt honore apud eos, quo apud cæteras gentes, propè enim ancillarum loco habentur. Nulla honesta creditur, nisi domi conclusa vivat, adeoque custodiatur, ut nusqvam prodeat. Parùm pudicam existimant, si ab alienis exterisve conspiciatur. Domi autem occlusæ nent, aut pensa trahunt: nil prorsus juris, aut negotii in ædibus habent, omnes enim labores domestici servorum operâ fiunt. Non verberatæ à maritis conqueruntur, nullam se apud maritos habere gratiam, verbera enim signum amoris putant. Quicquid mulierum manibus suffocatur, sive gallina, sive aliud aliqvod animalium, abhorrent tanqvam impurum. Pauperiorum uxores domesticos labores obeunt. Cæterùm qvum viris & servis absentibus gallinas jugulare volunt, stant pro foribus, tenentes gallinam & cultrum, prætereuntesq; viros, ut ipsi eas mactent, plurimùm rogant. In templa rarissimè, rariùs etiam ad amicorum colloquia, nisi effœtæ jam sint, omnique suspitione careant, admittuntur. Certis tamen ac festis diebus animi gratiâ concedunt uxoribus ac filiabus, ut in pratis conveniant amœnis, ibique cuidam rotæ

 instar

instar Fortunæ insidentes, alternatim sursum ac deorsum moventur: aut alioqui funem in medii circuli modum duobus stipitibus appendunt, cui insidentes ac suspensæ, hinc inde impulsæ feruntur, moventurq;: aut denique qvibusdam ac certis cantilenis, manibus, pedibusque plaudentes, capitibusque sæpenumero moventes se oblectant, vel manibus invicem se tenentes, ac simili modo canentes in gyrum ducunt. Hæc autem consvetudo præcipuè circa festum Petri & Pauli Apostolorum aliqvot hebdomadis ab omnibus Moscis atque Russis promiscuè frequentatur.

CAPUT XVII.

De moneta & numerandi ratione.

MOnetam argenteam Mosci quadruplicem habent: Moscoviticam, Novogardensem, Tuerensem, ac Plescoviensem. Moscoviticus numus oblongâ & ovali qvodammodo formâ (Denga dictus) diversas habet imagines. Antiqva in una rosæ, posterior hominis equo insidentis, draconemq; hastâ ferientis imaginem: in altera parte utraque scripturam habet. Horum autem hoc tempore septuaginta repræsentant aureum Ungaricum unum. Tuerensis utrinque scripturam habet, & valore æquiparatur Moscovitico. Novogardensis in una parte Principis in solio sedentis, hominisque ex adverso sese inclinantis imaginem, in altera scripturam habet, atque Moscoviticum valore in duplo superat. Plescoviensis caput bovis in una parte coronatum, in altera verò scripturam habet. Est præterea cuprea sive ærea moneta, quæ tantùm usibus pauperum destinatur, & Pula vulgò vocatur: horum qvadraginta Dengam Moscoviticam constituunt. Aureos non habent, nec eudunt ipsi; sed Ungaricis ferè, interdum etiam Rhenanis utuntur, preciumque eorum sæpè mutant, præsertim cùm alienigena auro aliquid sit empturus, tum continuò ejus precium minuunt. Si verò aliqvò profecturus auro indigeat, ejus tùm rursus precium augent. Constat autem omnis moneta Moscorũ ex puro argento, quàmvis ea quoq; nunc adulteretur: omnes ferè aurifabri Moscoviæ numos cudunt: & si quis massas argenteas puras numosq; cupit, nummi & argentum appenduntur, atq; æquâ lance librantur: mercedem laboris exiguam aurifabri (parvo alioqvi operã suam æstimantes) reportant. Porrò universa Moscovia nullũ habet argentum, nisi importatũ: nec Princeps usq; adeò efferre vetat, sed cavet verius, atque ita permutationem rerum facere, & alia, ut pelles, quibus abundãt, aut quid aliud ejusmodi pro aliis rebus dare recipereq; suos jubet, quò argentum & aurũ in ditione sua retineat. Vix a. à sesquicentum

tum annis monetâ utuntur argenteâ, præſertim apud illos ſignatâ. Initiò cùm argentum in Moſcoviam inferretur, fundebantur portiunculæ oblongæ argenteæ ſine imagine & ſcriptura, pondere unius rubli, quarum nulla nunc apparet. Cudebatur etiam moneta in Galiczienſi Principatu, ea autem, qvum æqvabili careret valore, in uſu eſſe deſiit. Porrò ante monetam proboſcide & auriculis aspreolorum, aliorumq; animalium, qvorum pelles ad nos efferuntur, utebantur, iisq; vitæ neceſſaria ceu pecuniâ emebant.

Numerandi ratio. Numerandi ratio apud eos talis eſt, ut res quascunque per ſorock aut devvenoſto, hoc eſt, aut qvadrageſimo, aut nonageſimo numero numerent, dividantque. Numerantes itaq; ſubinde repetunt, multiplicantq;, bis ſorock, ter ſorock, qvater ſorock: aut bis, ter, qvater devvenoſto. Mille gentili lingvâ Tisſucze, item decem millia una dictione Tma: viginti millia dvve tma, triginta millia, tri tma exprimunt.

CAPUT XIIX.

De mercibus, vectigali, & uſura.

Merces. MErces exoticas ſi quis in Moſcoviam attulerit, eas continuò apud telonii præfectos profiteri, ac indicare cogitur, quas hi ſtatâ horâ conſpiciunt, æſtimantque, æſtimatas verò nemo nec vendere, nec emere

mere audet, niſi priùs Principi fuerint exhibitæ. Porrò Princeps ſi quicqvam emere voluerit, tum nec mercatori interim rebus ſuis precium ſtatuere, nec cuiquam licitari fas eſt. Quo fit, ut mercatores interdum diutius ſuo cum damno detineantur. Neque enim cuivis mercatori præter Litvanos, Polonos, aut illorum imperio ſubjectos Moſcoviam venire licet. Nam Svecis, Livonibus, & Germanis ex maritimis civitatibus Novogardiæ duntaxat: Turcis verò ac Tartaris Chlopigrodi, quò nundinarum tempore diverſi ex remotis locis homines confluunt, mercaturam exercendi facultas datur. Qvando verò legati & oratores in Moſcoviam proficiſcuntur, tum omnes undecunq; mercatores in illorum fidem ac protectionem ſuſcepti, Moſcoviam & liberè, & ſine portoriis ire redire posſunt. Major mercium pars ſunt masſæ argenteæ, panni omnis generis ac coloris, ſericum, panni ſericei, & auro argentoque intertexti, gemmæ, uniones, aurum filatum, inſuper piper, crocus, zinziber, & cætera: interdum viles etjam qvaſdam res ſuo tempore illuc portant, ex qvibus non parùm lucri referunt. Sæpe etjam accidit, ut rei alicujus deſiderio omnes teneantur: quam qui primus attulerit, plus juſto lucratur. Dein cùm plures mercatores earundẽ rerum magnam advexerint copiam, tanta nonnunqvam vilitas earum

consequitur, ut is, qui res suas primùm magno vendiderat, easdem rursus vilescente precio redimat, magnoque suo commodo in patriam reducat. Merces verò, quæ inde asportantur, sunt pelles variorum animalium, & ceræ. In Lithuaniam & Turciam corium, pelles, & albi longi dentes animalium, quæ ipsi Mors vocant, in mari Septentrionali degentium, ex qvibus manubria pugionum Turcæ conficere solent: in Tartariam verò sellæ eqvorum, frena, vestes, corium: arma autem & ferrum non nisi furtim, aut ex singulari præfectorum permissu exportantur ad alia loca, intra Orientem ac Septentrionem. Panneas tamen & lineas vestes, cultellos, secures, acus, specula, marsupia, aut quid aliud ejusmodi, quocunque libuerit, vehunt. Fallacissimè ac dolosissimè mercantur, quin, dum precium afferunt, ac rem minoris dimidio precio in fraudé venditoris licentur: mercatores nonnunquam non uno tantùm, aut altero mense suspensos ac incertos detinent, sed ad extremã desperationem quosdam perducunt. Cæterùm, cui mores illorũ perspecti sunt, ac dolosis verbis, qvibus rei precium imminuunt, tempusq; extrahunt, non movetur, aut dissimulat: is res suas sine aliqvo dispendio vendit. Extraneis autem singulas res cariùs vendunt, ita ut, quæ uno aureo floreno seu ducato Ungarico alioqui emunt, ea qvinq;, octo, decem,

decem, viginti interdũ indicent: tametsi ipsi vicissim aliquando rem rarã ab exteris decem, aut quindecim florenis mercentur, quæ vix unum aut alterum valet florenum. Porrò contrahendis rebus, si quid fortè dixeris, aut imprudentiùs promiseris, eorũ diligenter meminerunt, præstandaq; urgent: ipsi verò, si quid vicissim promiserint, minùs implent. Quamprimùm item jurare incipiunt, aut obtestari, ilico dolũ subesse scias, animo enim fallendi ac decipiendi jurant. Pelliũ magna est diversitas. Zobellinarum enim nigredo, longitudo, ac densitas pilorum maturitaté arguunt: adhæc, si congruo tempore, quod in pellibus aliis pariter observatur, capiantur, precium augent. Martium sive marturinæ pelles ex diversis partibus, ex Severa bonæ, ex Svecia meliores advehuntur. Hermelinorum pelles ex pluribus pariter locis inversæ adferuntur, quibus tamen emptoribus plerisq; imponitur. Habent signa quædam circa caput & caudã, ex quibus cognoscuntur, an convenienti tempore sunt captæ. Nam simulac ubi hoc animal captum fuerit, excoriatur, pellisque invertitur, ne attritis pilis deterior fiat. Si quod non suo tempore captum fuerit, pellisque ideò bono ac nativo colore careat, tum ex capite & cauda certos pilos tanquam signa, ne incongruo tempore captum agnoscatur, evellunt, atque ita emptores decipiunt Pelles diversæ.

piunt. Vulpinæ, & præsertim nigræ, ex qvibus plerunque capitis tegumenta conficere solent, plurimi fiunt. Aspreolorum pelliculæ ex diversis quoque partibus afferuntur. Lyncium pelles parvi, luporum verò ab eo tempore, quo in Germania in precio esse cœperunt, plurimi fiunt, eorumq; terga longè in minore, qvàm alibi, sunt pretio. Castorum pelles apud illos pretiosæ sunt, omnesque juxta ex his, quòd nigro eoque naturali sint colore, vestium fimbrias habent. Pellibus domesticorũ catorum fœminæ vestiuntur. Est qvoddam animal, qvod Pessecz appellant: hujus pelle, quòd plurimũ caloris corpori adfert, in itineribus utuntur.

Vectigal Vectigal seu portorium omnium mercium, qvæ vel importantur, vel exportantur, in fiscum refertur. De qualibet re, æstimatione unius rubli, numerantur dengæ septem, extra ceram, de qva non solùm juxta æstimationem, sed pondus quoque, vectigal exigitur. De qvolibet autem pondere qvatuor dengæ solvun-

Usura. Usura iis communis est, quam licèt infamem, imò & grande peccatum esse præ se ferant, ab ea tamen nemo ferè abstinet. Est autem qvodammodo intolerabilis, qvum nimirum de singulis quinis unus, de centum viginti pendantur. Ecclesiæ mitiùs videntur agere, quæ decem è centum recipiant.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Republicæ forma.

Forma Reipub. Moscov. FOrma Reipublicæ apud Moscos merè est tyrannis, quia Princeps absolutum in suos imperium exercet, ac sine ulla justa causa vitæ necisq; potestatem sibi in eos usurpat. Quâ ratione, qvò ad modum dominandi, reliqvos universi orbis monarchas superat. Au-

Moscoviæ Principis tyrannis. toritatem enim suam, vel potiùs tyrannidem tam in ecclesiasticum quàm civilem statum extendit, liberèq; ac ex voluntate sua de omnium & vita & bonis constituit. Consiliariorum, quos habet, nullus tantæ est autoritatis, qui dissentire, aut in re aliqua, etiam iniquissimâ, ei resistere ausit. Omnes fatentur palàm, voluntatem Principis voluntatem Dei esse, ac quicquid Princeps egerit, ex Dei voluntate agere: ob id etiam Dei clavigerum, ac cubicularium nuncupant, executorem denique divinæ voluntatis credunt. Unde Princeps ipse, si qvando pro captivo, aut re aliqua gravi preces interponuntur, respondere consvevit: cùm Deus jusserit, liberabitur. Pari ratione si qvispiam de re aliqua incertâ ac dubiâ quærit, respondere communiter solent: Deus scit, & magnus Dux. Incertum, an tanta gentis immanitas tyrannum Principem exigat: an Principis tyrannide gens ipsa tam immanis, tamq;

 crude-

crudelis efficiatur. Fratribus, affinibus, cognatisque suis nec arces ad legitimè possidendum permittit, nec etiam confidit, solummodò aliquos ad arbitrium suum castris ac possessionibus certis præficit, ac tandē illis qualibet levi de causa infensus, omnia, ut sua, adimit. Ex plebeis eqvites, Palatinos, atque Consiliarios plerunque suo arbitratu, nullo repugnante, creat: Ex consiliariis rursus sive equitibus plebejos, bonis illis ademtis omnibus & publicatis, reddit. Eodem modo Metropolitas, Episcopos, Abbates, Prioresque monasteriorum suo judicio legit, ac deponit, omnes juxta servitute premit onerosâ, adeò, ut quemcunque penès se in aula esse, aut in militiam ire, aut legationem aliquam agere jusserit, præstare id sumptibus cogatur suis, exceptis adolescentulis, tenuioris fortunæ nobilium filiis, quos paupertate oppressos quotannis assumere, eosque inæquali stipendio proposito alere consvevit. Porrò quibus in annum sex numerantur aurei, iis tertioquoq; anno stipendium exolvitur: quibus autem in singulos annos dantur duodecim, ii tenentur ad quodvis exequendum munus suis & sumptibus & equis aliquot esse parati, ac expediti. Eminentioribus, qui legationem, aliaque graviora obeunt officia, aut præfecturæ, aut villæ, aut prædia habitâ cujusque & dignitatis & laboris ratione attribuuntur.

De quibus tamen singulis certos census annuos Principi pensitant: mulcta duntaxat, quam à pauperibus aliquid fortè delinquentibus extorquent, & quædam alia illis cedunt. Hujusmodi autem possessiones utendas fruendas plerunque ad sesquiannum concedit. Si quem tamen singulari prosequitur gratiâ, menses addit aliquot: sed elapso eo tempore cessat omnis gratia, totoque sexennio gratis illi deinceps serviendum est.

CAPUT XX.

De titulo Principis Moscoviæ.

Appellatur autem Princeps vernaculâ Czar, quod Regem Russis significat. Communi verò Slavonicâ linguâ apud Polonos, Bohemos, Moravos, & alios omnes, sumtâ quadam consonantiâ ab ultima, eaque gravi syllabâ Czar Cæsar seu Imperator intelligitur. Unde omnes Russici idiomatis ignari, Bohemi, Poloni, atque reliqui Slavi alio nomine Regem nuncupant, nempe Krol, Kral, Kiral, & Korol: Czar verò solummodò Cæsarem seu Imperatorem dici existimant. Unde Russi interpretes audientes, ab exteris hoc nomine Imperatorem significari, cœperunt & ipsi Principem suum Imperatorem Russiæ appellare, nomen Czar dignius esse, quàm Regis (licèt idem sonent) putantes. Cæterum

terùm in omnibus eorum historiis, cùm sacris tùm profanis, ubiq; Regis nomine Czar, Imperatoris verò Kesar reperitur. Sic quoque Tauricæ Rex Tartarorum Præcopensium Czar, hoc est, Rex nuncupatur, omnesque Tartarorum Reges hoc efferuntur nomine. Sed plures hujus vocis ignorantiâ decepti, omnes Reges hoc nomine Czar vocatos Cæsares esse arbitrantur. Nonnulli etiã Moscorum Principem nominant album Regem, vel quòd Russia alba ei subiecta sit, vel quòd incolæ vestibus & pileis plerunque albis utantur. Porrò Regis titulo utitur ad Romanũ Pontificem, Imperatorem, Sveciæ, ac Daniæ Reges, Turcicum Imperatorem, & qvondam ad Prussiæ Livoniæq; Magistros. Ipse verò à nemine horum, nisi fortè à Livonibus Rex salutatus. Ad Poloniæ autem Reges magni tantùm Ducis nomine uti consvevit, titulo Regis omisso, neuter enim horum literas alterius novo auctas titulo acceptare dignatur. JOANNES tamen Basilides & ad Poloniæ Regem STEPHANUM clariss. memoriæ Regis titulum usurpavit, verùm ab illo nunquam, nisi magni Ducis titulo honoratus est.

CAPUT XXI.

De inauguratione Principis Moscoviæ.

Inauguratio

INauguratur Moscorum Princeps in totius Moscoviæ metropoli à metropolita, cui assistunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, totusq; Ecclesiasticorum conventus, solemnibus ornamentis induti, idque in divæ Virginis æde. Ubi canitur à metropolita totoq; clero oratio D. Virginis, & S. Petri confessoris, quem illi miraculosum vocant. Dein Metropolita Deum precatur pro novo Duce, ut eum protegat, longitudinem dierum illi det, cor ejus in timore dirigat, à mala fide avertat, ut judicet populum in ecclesia, justitiam afflictis præstet, filios pauperum conservet, ac tandem regnum consequatur cœleste. His finitis, imperat duobus Abbatibus metropolita, ut sibi barma, quod est ornamentum ducale, porrigant, quod unà cum pileo ducali tegumento quodam serico obducitur, illoque novi Ducis caput tegit, ac pòst precatur, ut Deus eum sub protectione conservet, in regno contineat, quò semper bona ac decentia agat, clarescere faciat justitiam in diebus suis, amplificationeque dominii sui, & ut in tranquillitate ejus quietè sine discordia vivant, in omni bonitate & puritate. Tandem pileum ducalem, ab Abbatibus sibi porrectum, crucis signo adhibito magni Ducis capiti imponit, cui dein Archiepiscopus & Episcopi accedentes manu benedicunt. Interea Diaconus canit litaneiam, quâ peractâ, iterum metropolita addit orationem ad divam virgi-

nem. Pòst canunt ſacerdotes, multos Magno Duci annos precando. Secundùm illa Metropolita, Archiepiſcopi, Epiſcopi, totusq; clerus ordine magnũ Ducem accedunt, eumq; debito conſalutãt honore. Exin Metropolita ad magnum Ducem ſe convertens, ſui eum admonet officii, ut timeat Deum, amet juſtitiam & juſtum judicium, curam rectè fidelium habeat. Deinde ſurgitur, Metropolitaque orans magno Duci benedicit. Tandem liturgiâ abſolutâ, magnus Dux pileo ducali, ac barma ornatus, ex æde magnâ nobilium catervâ ad divi Michaelis Archangeli pergit, ubi in veſtibulo ſupra pontem à quodam principe viro dengis aureis ter aſpergitur, templumque ingreſſo ſacerdotes litaneiam orantes pro more ei benedicunt, ac juxta ſepulcra atque monumenta crucis ſigno eum ſignant. Hinc rurſus, templo egrediens, in porta aureorum numorum projectione honoratur. Tandem rectâ in templum Annunciationis beatæ Virginis progreditur, ubi ſacerdotes pariter ei benedicunt, ac numi misſiles, ut antè, in magni Ducis honorem ſparguntur.

CAPUT XXII.

De legibus Moſcorum.

Leges Moſcor. LEgum, ut fit ſub tyrannide, magna eſt paucitas, ſi quidem Princeps tyranni more cum eis agit, ac legi voluntatem ſuam ſubſtituit, illis hac in parte adſentientibus. Sic enim cenſent, à Metropolitis edocti & perſuaſi, ſe cum Deo per Principem tanquam Dei vicarium atque internuncium conjungi: ideoque ejus voluntatem divinæ æquiparant, & ſive is voluerit, aut præceperit bona ſive mala, turpia ſive honeſta, qualiacunque fuerint illa, nefas recuſare putant, dictitantes, voluntatem Principis ac Dei unam eandemque eſſe, ac talem divinitus Principem obtingere, qualem meriti ſunt, benignum vel aſperum. Hæc ſanè omnia libertati aureæ, quâ aliæ gentes cultiores gaudent, plurimùm derogant, ac tyrannidem ingenuorum hominum peſſundatricem ſtabiliunt atq; confirmant: quando ab unius nutu atque arbitrio ſubditorum ſalus, vita, opes, fortunæ, & omnia etiam chariſſima dependent. Hac una re potentia opesque Moſcorum Principis creverunt unà cum crudelitate, ac intolerabili dominandi aſperitate. Legum paucitatem ac tyranni abſolutum dominium non parum etiam adjuvat duplex religionis eorum opinio. Primò enim omnes alios, qui ab illis in religione diſſentiunt, etiam eos, qui Romanam ſeqvuntur religionem, barbarorum loco habent, ac eorum converſationem fugiunt: eamque ob cauſam Princeps, qui ſubditis hac in opinione præit, quoties

externorum Principum legatos in colloquium admittit, pelvim aquâ impletam in promtu habet, quâ dimissis legatis manus ilico quasi eorum contagio pollutas abluat. Accedit ad hoc, quòd ex suæ religionis institutis statuant, eos, qui Principis voluntati parendo vita privantur, protinus beatos fieri, eorumque animas à corporis mole separatas in loca cœlestia concedere, non minùs ac martyrum vel discipulorum Christi, qui in vera erga ipsum fide constanter ad extremum usque spiritum perseverârunt.

CAPUT XXIII.

De oratoribus domesticis aliò mittendis, atque exteris accipiendis.

Oratores Mosci ad exteros Principes.

ORatores sive legatos ad Principes exteros Moscorum Princeps missurus, magno cum comitatu mittere in more habet, ac præsertim ad Poloniæ Reges, cum quibus controversia ipsi sæpè est ratione finium, imò & nonnunquam bella. Aulicis omnibus ac Nobilibus, quos legatis adjungit, vestium solennium, armorum, & id genus ornamentorum ex thesauro suo ad usurpandum prætextu usuræ solvendæ copiam facit, administratorque horum substituitur, qui omnia ornamenta unicuique secundùm ordinem, quoties opus fuerit, distribuit, rursusque ab eisdem re-

cipit

cipit, ac reservat. Ex legatione tandem reversi, certam pro usurpatione vestium & cæterorum ornamentorum pecuniam ex pacto Principi numerant, vestesq; restituunt. Quòd si quid à quopiam commaculatum fuerit, illud verberibus castigatus solvere tenetur. Quicquid verò Oratores ad Principes extraneos missi preciosarum rerum reportant, id Princeps in suum fiscum reponit, alius gratiæ spem ipsis faciens.

Exterorum vicissim Principum oratores hoc modo à Moscis excipiuntur, atque tractantur. Orator in Moscoviam proficiscens, ejusque limitibus appropinquans, nuncium ad proximam civitatem mittit, qui ejus civitatis Præfecto indicet, se Oratorem talis Principis limites Moscoviæ ingressurum. Mox præfectus non solùm, à quo Principe mittatur, sed cujus etiam conditionis autoritatisque sit ipse Orator, item quotus veniat, curiosè inquirit: quibus cognitis, aliquem cum comitatu, habitâ tam Principis, à quo mittatur, dignitate, quàm Oratoris ratione, ad excipiendum & deducendum oratores mittit. Interim etiam Magno Duci, unde, & à quo veniat, continuò significat. Missus ex itinere pariter aliquem è suis præmittit, qui Oratori significet, magnum hominem advenire, qui eum certo loco, locum designans, excepturus sit. Porrò magni hominis titulo propterea utuntur, quòd hoc ho-

Exterorum Principum Oratores

noris

noris indicio excellentiores solummodò dignantur. Neque enim quenquam strenuum, aut nobilem, aut illustrem, magnificumque vocant, aut alio denique id genus titulo ornant. Ceterùm in congressu ablegatus ille adeò non cedit de loco, ut nivem hiberno tempore, ubi subsistat, verrere seu terere ita jubeat, quò Orator præterire queat, ipse interim tritâ viâ se non movens Præterea etiam hoc observant: mittunt nuncium ad Oratorem, qui eum admoneat, ut ex equo seu vehiculo descendat: si verò aliquis vel lassitudinem, vel ægritudinem causatus fuerit, id responsi dant, quòd nec proferre, nec audire verba Domini, nisi stando, liceat: imò nuncius diligenter cavet, ne prior ex equo aut rheda desiliat, ne videatur hac re Domino suo derogare: quin ubi Oratorem ex equo descendere animadvertit, tum demum & ipse desilit. Sub hæc accedens aperto capite inquit: Magni Domini, Dei gratià, Regis ac Domini totius Russiæ, ac magni Ducis, &c. recitando potiores Principatus, locum tenens ac præfectus N. provinciæ, curat tibi significari, postquàm intellexit, te oratorem tanti Domini ad magnum Dominum nostrum venire, misit nos obviam, te ut ad se duceremus (repetendo titulum Principis ac locum tenentis). Præterea nobis demandatum est, ut inquireremus, quàm sanè equitaveris, (is enim modus

Ceremoniæ in excipien. oratorib.

dus est in excipiēdo). Dein Oratori dextram nuncius porrigit, neque rursus honorem prior exhibet, nisi videat, Oratorem caput denudare suum. Sub hæc humanitatis fortè officio adductus, ultro oratorem compellat, quærens, quàm sanus equitâsset. Postremò dat signum manu, innuens, ascendendum & pergendum esse. Conscensis tandem equis aut vehiculis, subsistit loco unà cum suis, neque viâ cedit Oratori, sed postremus eminus sequitur, curatque diligenter, ne quisquam retrocedat, aut subsequatur. Progrediente Oratore, mox sciscitantur primùm nomen Oratoris, ac singulorum servitorum: nomina item parentum, & ex qua quisque provincia oriundus sit, qualem quisque calleat linguam, & cujus sit conditionis, an Principis alicujus servitor, an Oratoris consanguineus, aut affinis sit, & an priùs quoque in eorum provincia fuerit. Quæ singula ad magnum Ducem per literas continuò referunt. Porrò cùm paululùm progressus est Orator, occurrit alius quispiam, mandatum se à locum tenente habere prætendens, ut ipsi de omnibus necessariis provideat.

Nec illud prætereundū, quòd, quotiescunq; Oratores in aulam deducēdi sunt, tum vulgus Nobilium, stipendiarii, ac milites ex vicinis regionibus mandatu Prin-

Principis convocentur, urbis tabernæ atque officinæ ſub id tempus occludantur, vendentes ac ementes foro pellantur, cives denique undiquaque eò confluant. Hoc autem ea propter fit, ut ex tam ingenti hominum multitudine Principis apud peregrinos potentia: ex crebris verò externorum Principum legationibus majeſtas conſpiciatur.

CAPUT XXIV.

De Senatu, præfectis, ſatellitibus, & veredariis.

Senatus SEnatum ſive conſiliarios Princeps, ut à tyrannide alienior videatur, in ſpeciem ſibi adjungit, quos tamen rariùs, aut etiam nunquam in conſilium adhibet, pro libidine omnia agens. Eos ex antiquisſimis Præfecti. Ducum à Moſcoviæ tyrannis oppreſſorum familiis conſtituit, aut quos illi pro gratia ac meritis cujuſque ornare, & dignitate augere libitum eſt. Præfectos plerunque tres deſignat. Unum, qui munitionum ſibi commendatarum curam gerat: & huic extra munitionem egredi quacunq; necesſitate exigente, ne dum extra eam pernoctare integrum non eſt. Reliquos duos huic primò cuſtodes adjungit, & ex his alteri, ſi necesſitas urgeat, ac Principis expreſſum mandatum acceſſerit, excurſiones facere, munitionesque excedere conceditur. Hoſce præfectos vernaculâ VVoievodas, quaſi belli duces, appellant, idque ad Polonicorum Palatinorum exemplum, licèt non æquè perpetua ibi ſit hæc dignitas, ac apud Polonos, & ea unici caſtri, ac inter plures plerunque diſtributa gubernatione terminetur. Prætoris ſeu judicis à Principe conſtituti perſonam Ocolnik ſuſtinet: aliàs ſupremus conſiliarius, Ocolnik. qui ſemper circa Principem eſt, eo nomine ſalutatur. Nedelſnick eſt commune quoddam eorum officium, qui homines in jus vocant, delinquentes capiunt, carceribuſque coercent. Atq; hi Nobilium numero continentur. Nedelſnicg. Porrò Princeps cùm Nobilium alicui munus ſive officium aliqvod demandat, baculum illi in manum tradit: quo ſignificatur, ut ei in omnibus, veluti Principi, obtemperetur. Quum verò officio deponitur, tùm baculum illum in manus Principis, vel ejus vices gerentis reddit. Stipatores ſeu ſatellites Princeps ad tutelam corporis ſui, perinde ut Turca Janiczaros, aliqvot millenos alit, ex qvibus major pars Satellites. ſclopetariorum cum bombardis longioribus, reliqvi cum frameis, arcubus, lanceis, ac loricis armati incedunt. His JOANNES Baſilides primus pro explenda tyrannide ſua tanto numero uti cœpit. Veredarii diverſis in locis juſto cum eqvorum numero diſponuntur: ut cùm curſor regius aliqvò miſſus fuerit, eqvum Veredarii.

nullà

nullâ morâ interpositâ in promptu habeat. Est autem cursori liberum, ut, quemcunque voluerit, eqvum eligat. Solet veredariorum, seu, ut vulgò vocant, postarum præfectus, qui illis Jamsnik dicitur, aliquando triginta, nonnunquam quadraginta, quinquagintave eqvos curare adducendos. Quilibet igitur eqvum, qui commodus videtur, sumit: quibus defessis, cùm ad aliud in itinere diversorium, quòd Jama appellant, pervenitur, continuò, ephippio ac freno retento, permutantur. Licet autem cuilibet celerrimo uti equorum cursu, ac si fortè aliquis concidat, ac durare non valeat, tum ex proxima quaque domo alium rapere, aut altoqui abs quovis obviam fortè occurrente, Principis duntaxat cursore excepto, sumere impune quidem concessum est. Eqvum porrò in itinere viribus exhaustum, relictumque Jamsnik requirere, alterumque ei, cui ereptus erat, restituere, preciumque ratione itineris habitâ persolvere obligatur.

CAPUT XXV.

De juris forma apud Moscos.

Juris forma. IUris forma apud Moscos ejusmodi est: si quæ lis apud illos oritur, fundorũ Domini primùm judices constituuntur, hi si componere litem nequeant, superiori magistratui certamen deferunt. Accusator à magistratu

magistratu petit, ut liceat sibi adversarium in jus trahere, mox potestate factâ satellitem accersit, ac reum sistit, inque jus rapit. Hujus tibias flagris cædit lictor, donec proferat, qui legi satisdet. At reus, si ejus fidei non sit, ut vadem inveniat, manibus collo constrictis à lictore trahitur, verberibusque eò usque afficitur, donec ad dicendam causam coram judice compareat. Reus itaque à magistratu interrogatus, (verbi gratiâ in actione æris alieni) an in illius ære sit, à quo accusetur: ille si inficias eat, tum judex, quî potes inficiari? inquit. Cui reus, jurejurando, infert. Mox à magistratu prohibetur lictor, ampliùs verberare, donec certiori fide de lite constet. Carent magno Reipublicæ malo, leguleiis & procuratoribus. Quisque sibi advocatus est, quisque causam exponit suam, atque accusantis querela, reique defensio supplicum literarum formâ Principi traduntur, justam Principis sententiam petentium. Ipse Princeps omnium litem, majorum præsertim controversiarum, cognoscit, ac cognitâ lite sententiam fert. Ad extremum cùm utraque pars, quibus potuit argumentis, causam suam confirmavit, rogat judex accusatorem, an ulla causæ suæ argumenta adhuc supersint. Respondet, se vel pugilem suum manu strenuâ etiam in hosté comprobaturũ, ac

 mox

mox postulat, ut singulari certamine congredi liceat, copiâque certandi utriq; factâ, ambo ad monomachiam se accingunt: aut si alteruter, vel uterque parùm strenuus, aut pugnæ minùs habilis sit, pugiles publicos substituunt. Habent enim pugiles, quibus solo hoc quæstu victus constat: hi armati in arenam descendunt. Tela sunt utplurimùm clava bellica, & venabulum. Fit pugna pedestris. Cujus igitur pugil in certamine superatur, is absqve mora in vincula conjicitur, ubi indignis tractatur modis, donec cum adversario certamen finiat. Præter hæc, si uterq; claris sit ortus parentibus, atq; alterum privatum hostem deposcit, annuit judex: nec tum vicariis pugilibus fas est uti. Porrò luculento natus loco, hostem obscuriore ortum familiâ in duello respuit.

Monomachia actoris & rei.

Si quis pauper ære alieno obstrictus creditori solvendo non sit, arripit illum creditor, atque eò usque in opere faciendo exercet, vel alteri operam obærati locat, donec operando debitum persolvat. Sunt qui sponte se, uxorem, & liberos insignioribus per omnem vitam emancupant, & initio exiguam pecuniæ summam accipiunt, ac pòst pro reliqva vita alimenta capiunt. Adeò illis vilis est libertas. JOANNES Basilides, alioqui crudelis & injustus, nulla in re vehementiùs ac diligentiùs, quàm in puniendis æris alieni de-

ni debitoribus, laboravit, omni eos beneficio indignos existimans, qui nequaquam gratâ manu alienæ fortunæ muneribus fruerentur. Nemo enim vel civis, vel peregrinus, qui emendo aut vendendo nomina fecisset, nemo vel minimus debitor fuit unquam, qui fustuarium tyranni non senserit. Ex his adventitios & parùm notos homines, civesq; adeò suos, & summos & infimos, certis diebus egrediens ex templo, monstrare, ac per civitatis regiones circumducere est solitus, eò præsertim libentiùs, cùm obsoletâ veste indutos, ac probè fustigatos conspiceret. Alieno enim æri obnoxios in Republica ferre nolebat, qvos ad omnes exercendæ perfidiæ occasiones paratos esse dicebat.

In furto si quis primùm deprehensus sit, nisi fortè sacrilegii aut plagii accusetur, in carcerem conjicitur, ac subinde flagellatur, neque ob primam noxam suspenditur. Atque hanc misericordiæ legem appellant. Qui secundò delinquit, illi nasus præciditur, aut stigmate frons signatur. Tertia noxa crucem meretur. Si aliquis conditionis vilis aut vitæ suspectæ insimuletur furti, vocatur in quæstionem. Si verò furti convinci non potest, datis fidejussoribus, dimittitur ad ulteriorem inquisitionem. In prædones severissimè animadvertitur, quibus comprehensis calcanea pri-

Furti pœna.

Prædonum pœn.

mùm frangere, dein in biduum aut triduum usque, dum intumescant, quiescere: pòst fracta jam ac intumefacta rursus motare jubent. De maleficiis quum quæstionem habent, reos multâ frigidâ supernè demissâ perfundunt. Nonnunquam obduratis & contumacibus, ut criminis confessio exprimatur, ligneis cuneolis digitorum ungves conveiluntur. Cum brutis rem habētes ne illi quidē ultimo puniuntur supplicio.

In maleficos tormenti genus.

Quàmvis verò Princeps acerbè severus sit in magistratus malos, jus pervertentes, nihilominùs tamen omnis justitia & palàm ferè venalis est. Erga quos sæpius dictus ille tyrannus, si convicti fuissent, diverso supplicii genere usus est. Quosdam etenim præfectos, qui aut cives aut mercatores expilâssent, virgis lacerari, nonnullos baculis contundi, alios sericâ veste splendidè indutos per civitatis vicos huc atq; illuc circumduci curavit, nullis quidem equis, sed carnificum turbâ currum trahente, qui scuticarum strepitu ac fragore auras verberabant. Postea cùm ad regiam adducerentur, an verberibus mulctati essent, interrogabat: illis metu consternatis ac mussitantibus, nunc, inquit, vestrarum pœnarum nuncios audivistis: cavete, ne ipsum legum mearum rigorem experiamini. Qvod tunc fiet, cùm denuò actio mali gesti muneris contra vos fuerit instituta. Nonnullis etiam, qvibus priva-

Iustitia venalis.

privatim pœnam irrogare placebat, ferrato scipione utrumque pedem perforare solitus erat: quosdam pelli ursinæ indutos in forum publicum pertrahebat, ut ita canum laniatu rotati miserabile cæteris spectaculum præberent.

CAPUT XXVI.

De belli gerendi ratione.

BElli gerēdi ratio est eadē apud hanc, quæ apud alias gentes, tam enim equitatu quàm peditatu constat, quàmvis ante BASILIUM eorū Principem tormentorum ac peditatus in bello apud ipsos nullus usus fuerit, ille enim primus tormenta adhibere cœpit. Campo & conflictui aperto non fidit, sed in munitionibus duntaxat spem omnem ac fiduciam locat. Hinc tyrannus in oportunis locis intra lacuum ac fluminum circuitus turres & arces munitissimas extruxit, & qvidem ab initio imperii sui semper munitionibus studuit erigendis. Quum enim Mosci viderent, se in prælio non posse contra hostes stare, aut certè semper succumbere, in munitiones & castella confugiebant, ibidemque & hostem repellendo, & seipsos recondendo, pugnabant. In quem finem vario apparatu bellico commeatuque talia loca instructa habere solent, ut obsidionem diu tolerare, ac contra-

Belli gerendi ratio.

contra hostem defendere se valeant. Adhuc igitur, cùm animadvertant, se vicinis suis, maximè verò Polonis in bello pares non esse, castella hujusmodi atque arces benè munitas retinent. Materia castellorum hujus generis, ut in silvosis regionibus solet, sunt trabes ingentes, maceriâ & terrâ obrutæ, inter seq; compactæ, ac firmiter devinctæ, quorum castellorum summitatem cespes viridis vestit & decorat, ac circumcirca propugnacula, turres frequentes, atq; fossæ, sive naturales, sive arte factæ accessum ad ea prohibent. Quæ ædificia non solùm aspectu pulchra sunt atq; eximia, sed etiam ante bellum à laudatissimo Rege STEPHANO gestum pleraq; candentium globorum jactu exusta expugnataque fuère, ad defensionem tutiora commodioraque credebantur, quòd tormentorum ictus faciliùs maceria sustinet, & globos explosos cedendo in se recipit, neq; tota concutitur, ut in muris è cocto lapide videre est, ubi cementũ, quo lapides sunt veluti glutinati, dissilit, ac magnam muri stragẽ secum fert. Illæ tamen arces atque propugnacula, quæ Livoniam spectant, ex lapide etiam muros habent. Præsidiarios sive præsides munitionum ex Nobilitate quotannis constituit, idque pro arbitrio, neque diuturniorem quàm annuam hanc eorum præfecturam esse vult: quibus addit ex plebe militem stipendiarium, quos pixidiarios vocant.

Castella. Præsidia

Qvoties verò finitimorum injuriæ in bellum evocant, haud unquam infra nongenta millia hominum in hostem armat, ex quorum numero trecenta millia in aciem secum educens, reliqua in defensionem provinciarum, in præsidiis per apta loca disponit.

Agricolam sive colonum nullum, nullum etjam mercatorem in militiam legit. Tanta enim est populi multitudo, ut his relictis, terra alioqui populosa juventutem bello abundè suppeditet. Potest autem Moscorum Princeps exercitum longo tempore ingentem sustentare, neque enim militibus stipendia numerat, aut, si qua, perexigua: sed agros illis vili elocat precio, qvo beneficio militum operam compensat. Milites verò conscripti coram Principe singuli comparent, & numum unum, quem patrio nomine dengam vocant, Principi dant: quem reversi ex bello repetunt. Ita occisorum numos Princeps retinet, atque hinc illorum numerum cognoscit. Omnes denique & singuli tam stipendia merentes, quàm Principis gratiam expectantes, in militiam suis impensis ire coguntur, quæ non tam ingentes sunt, ut alibi. Nam quicunque sex eqvos, totidemque servos habet, ex iis uno tanquam bajulo, qui vitæ necessaria portet, utitur.

Victus in bello.

Inprimis habet milium contritum in sacculo, longitudine duorum aut trium palmitum: dein suillæ carnis salsæ libras octo aut decem. Habet & sal in sacculo, ac, si locuples sit, pipere mixtum. Præter hæc unusquisque secum fert securim, fomitem, lebetes, aut ollam cupream, ut, si aliquò fortè deveniat, ubi nil fructuum, allii, cepæ, aut carnis reperiat ferinæ, ignem accendat, ollamque aquâ repleat, in quam cochlear milii plenum sale addito injicit, ac coquit: eo cibo & herus, & servus contenti vivunt. Porrò si herus nimiùm famelicus fuerit, totum absumit: itaque famuli aliquando, ventri bellum indicentes, ad biduum vel triduum strenuè jejunant. Adhæc si herus lautiùs vult epulari, tum addit parvam carnis suillæ portiunculam. Farinam etiam de avena subtiliter commolitam habere solent, cujus aliqvot cochlearia pransuri in cistellam imponunt, modicoque aqvæ mixtam comedunt. Sin autem fructus, aut allium, aut cepas habeant, facilè aliis omnibus carere possunt. Et hic est mediocris conditionis, sive gregariorum militum victus. Duces exercitus, & alii militiæ præfecti pauperiores aliqvando ad se invitant: qui sumto prandio lauto interdum ad biduum vel triduum fortiter esuriunt.

Arma. Arma gentis communia sunt: arcus, telum, securis, & baculus instar cæstus. Frameam nobiliores gestant.

stant.

stant. Pugiones oblongos in cultellorum modum dependentes in vaginis adeò reconditos habent, ut vix suprema capuli pars attingi, aut necessitate urgente apprehendi possit. Lorum pariter freni longum, & in extremitate perforatum adhibent, qvod digito sinistro annectunt, ut arcum prendere, extentumque tractare queant. Quanqvam verò simul & eodem tempore manibus teneant frenum, arcum, frameam, telum, atque flagellum, istis tamen scitè ac sine ullo impedimento uti nôrunt. Quidam lautioris fortunæ, loricà, thorace affabre ceu ex quibusdam sqvamis concinnato, & armillis muniuntur: paucissimi verò cristà instar pyramidis in summitate exornatâ insigniuntur. Sunt qui habent vestem bombycis lanâ suffartam ad ictus quoscunque sustinendos. Lancea quoque apud illos usitata est. Equi illorum parvi, castrati, soleis carentes, levissima frena, tum ephippia eum in usum accommodata, ut se in omnes partes nullo negocio vertere, arcumque intendere queant. Pedibus usque adeò attractis equo insident, ut nullum hastæ teli paulò vehementiorem ictum sustinere valeant. Calcaria paucissimis, flagellum plerisque in usu est, quod semper minimo digito dextræ inhæret, ut id, quoties usus postulat, apprehendant: rursus, si ad arma deventum fuerit, projectum è manu pendeat.

Castrorum collocandi ratio.

Castris collocandis amplissimum eligunt locum, ubi præstantiores tentoria erigunt: alii verò ex arbustis veluti arcum in terram figunt, penulisque tegunt, quò ephippia, arcus, & id genus alia recondant, seque ab imbre defendant. Equos ad pascua pellunt, quorum causa tam latè disjuncta tentoria habent, quæ nec curru, nec fossâ, nec alio quovis impedimento sepiunt: nisi fortè locus naturâ sit, aut silvis, aut paludibus, fluminibusvè munitus.

Tormentorum ratio.

Tormentis ita utuntur, ut ea terrâ defodiant, ante ea & os tubi justæ profunditatis fossam ducunt, in qua, qui onerandorum tormentorum curam gerunt, delitescunt: ad os tubi funis adaptatur, hoc cùm implenda sunt, in fossam deprimuntur, cùm verò exoneranda, rursum laxantur.

Conferendæ pugnæ ratio.

Quoties cum hoste conferendum est, incompositi in agmen hostile procurrunt, neq; aciem dirigunt; sed in insidiis collocati, hostes adoriuntur. Ac quidem primo impetu audacissimè aggrediuntur, nec diu perseverant. Quamprimùm fugam arripiunt, nullam salutem cogitant, præter eam, quam fugâ habere possunt. Ab hoste capti, nec se defendunt, nec veniam precantur. Prælium ingressuri plus spei ponunt in multitudine, quàm in robore militum, ac instructo probè exercitu: feliciùsque eminus quàm cominus pugnant: atque ideò hostem circumvenire, à tergoque invadere præcipuè student. Civitates rarò vi aut impressione acriore expugnare, sed longâ magis obsidione, homines fame, aut proditione ad deditionem adigere consueverunt. Tubicines multos habent, qui dum omnes unà tubas inflant, asperum atque inconcinnum quendam sonitum edunt. Habent & aliud instrumentum musicum, quod Surmam appellant. Hoc qui utuntur, continuò ac sine intermissione inflandi per unam horâ ferè naribus spiritum paulatim attrahentes, buccis antea aëre distentis, canunt. Vel gerunt etiam singuli parvũ tympanum ad ephippia suspensum, quo, quoties agmen sisti usus est, à primo impulso, sonoq; à primis excepto, ac cæteris deinceps tradito exiguo tẽporis momento totus exercitus consistit.

Civit. expugn. ratio.

Tubicines & Musici.

Cæterùm, si cujus operâ Princeps in bello strenuâ usus est, hunc prædio aut fundo aliquo donat, in alimentum sui suorumq;, quæ tamen ad ipsum Principem post ejus mortẽ redeunt, si nulla virilis sexus proles contingat. Nam etsi numerosã fœminarũ sobolem genuerit, hunc tamen hæreditarium agrũ sibi Princeps vendicat, nisi quòd exiguã fortè portionem ad puellas dotandas concedat. Porrò qui Principis munificentiâ hoc modo munerantur, gravi obligantur pecuniâ, tot n. milites in bello alere, cùm necessitas exigit, tenetur,

qvot illis fundi reditus Principis censurà abundè alere posſit. Haud meliori ſunt ſorte, quibus agri hæreditario jure obveniunt. Si enim moriuntur, nec prolem relinqvunt maſculam, demortui prædia fiſco Principis protinus cedunt. Super hæc, ſi opimus aliquis bello inhabilis, aut pugnæ inſvetus ab aulicis ad Principem deferatur, qui rei militari non ſat idoneus amplas habeat facultates, quibus multi clariori nobilioriqve creti ſangvine viri bello apti ſuſtentari posſint, mox acceſſitur infelix, & opibus, qvas tanto cum ſudore, totque laboribus per omnem vitam acqviſivit, tantillo temporis momento exuitur: præterquàm quòd particulam aliquam à Principe recipit, ad ſe, uxorem, liberos, ac familiam conſervandam. Hæc autem tam alacriter ſubditi præſtant, ut aliena reſtituiſſe, non ſua alieno dediſſe, credantur. Sic bonis pro meritis ſingulorum aulicos donat Princeps. In bello etiam, quò quis ſæpius in expeditionem mittitur, eò propenſiorem in ſe Principis favorem opinatur, etiamſi tantos ſumptus, totque pericula ſuſtinere cogatur.

FINIS
NON PUGNA
CORONAT.

AD
LECTOREM ÆQVUM.

HAbes, LECTOR *benevole,* MOSCOVIAM, *ſeu de origine, linguâ, ſitu, fertilitate, moribus, conſuetudine, religione, ritibus, ordinibus, atque magiſtratibus: Reipublicæ item formâ, inauguratione, oratoribus, legibus, jure, ac militia* MOSCORUM: *in quibus, ut te non celem, ſecutus ſum rerum Moſcoviticarum ſcriptores notæ illuſtris;* SIGISMUNDUM HERBERSTEINIUM *Baronem,* REINHOLDUM HEIDENSTEINIUM, *Navigationem* ANGLORUM *ad Moſcos, ex nobilis viri* MARQUARDI FREHERI *Conſiliarii Electoralis Palatini bibliotheca,* PAULI ODERBORNII, *& alios, per quos profeciſſe me non diffiteor. Adjunxi etiam* MOSCOVIAE *tabulam ex probatisſimis Geographis concinnatam. Quod ſtudium meum quin optimam in partem interpretaturus ſis, nullus omnino dubito. Vale mi lector, ac* σφάλματα, *quæ ſive calami, ſive operarum culpâ irrepſerunt, ſuo loco reſtitue.*

Russia

I Topogr.

[illegible]

